BIBLIOTHECA GRAECA

VIRORUM DOCTORUM OPERA RECOGNITA

ET

COMMENTARIIS INSTRUCTA

CURANTIBUS

FRIDERICO IACOBS

ET

VAL. CHR. FR. ROST.

A.

POETARUM

VOL. VI.

CONTINENS

PINDARI CARMINA

ED.

LUDOLPHO DISSENIO,

PROFESSORE GOTTINGENSI.

EDITIO ALTERA AUCTIOR ET EMENDATIOR.

CURAVIT

F. G. SCHNEIDEWIN,

PROF. GOTTING.

GOTHAE, MDCCCXLIII.

SUMPTIBUS FRIDERICAE HENNINGS.

(LONDINI APUD D. NUTT. 158. FLEET STREET.)

PINDARI CARMINA

QUAE SUPERSUNT

CUM

DEPERDITORUM FRAGMENTIS SELECTIS

EX RECENSIONE BOECKHII

COMMENTARIO PERPETUO ILLUSTRAVIT

LUDOLPHUS DISSENIUS,
PROFESSOR GOTTINGENSIS.

EDITIO ALTERA AUCTIOR ET EMENDATIOR.

CURAVIT

F. G. SCHNEIDEWIN,
PROF. GOTTING.

SECT. I.

CARMINA CUM ANNOTATIONE CRITICA.

GOTHAE, MDCCCXLIII.
SUMPTIBUS FRIDERICAE HENNINGS.
(LONDINI APUD D. NUTT. 158. FLEET STREET.)

AUGUSTO BOECKHIO,

AMICO CONIUNCTISSIMO,

LUDOLPHUS DISSENIUS

S.

Pindarum hunc novo Commentario illustratum cuinam magis consecraverim quam Tibi, Vir praestantissime, qui Tuus fuit, antequam ederetur. Viginti sunt anni, ex quo Dissertationem illam ingeniosam Tuam de metris Pindari scripsisti, quae et aliorum et meum huius poetae studium mirum quantum excitavit. Erat enim in me a pueritia nescio quomodo maximus amor poetarum Graecorum, audiveram postea cupide Heynii in Pindarum lectiones, et admirabar Hermanni metricas disputationes explicationesque multorum locorum acutissimas, quum Tu de arte metrica Pindari et de Doricae poesios indole ita disputare inciperes, ut incredibilem mihi harum rerum ardorem incenderes. Legebam ex illo tempore ac relegebam Pindarum, et quum paulo post Hermannus Dissertationem praeclaram de dialecto Pindari scripsisset, Tu vero copiis literariis adiutus uberrimis ipsum Pindarum ederes et restitueres ac redderes nobis non uno modo, tum vero laetus cum aliis sentire coepi futurum tempus, ubi etiam explicatione longius procedere et in intima horum divinorum carminum penetrare liceret. Fueras interim saepius Gottingae, et exstiterat inter nos amicitia coniunctissima, quum candorem et simplicitatem ingenuam animi Tui maxime diligerem idemque Te, quod ego, de antiquitatis studiis et de interpretatione scriptorum veterum sentire intelligerem.

Ac laetus etiamnum temporis illius recordor et sermonum, quos iuvenili ardore incensi de poesi veterum et de Platonis arte miscebamus. Tum erat, quum socium me postulares primum in explicatione Pindari, quam meditabaris, ut etiam publice exstaret amicitiae et studiorum nostrorum communium documentum. Nolebam repugnare, etsi videbam quantum doctrina et acumine me superares; sed non poteram amicitiae Tuae recusare quidquam, et sperabam utilitatis ac voluptatis plurimum ex hoc communi studio poetae in me redundaturum. Sic illas Explicationes scripsimus ante hos novem annos editas, uno animo, eadem admiratione poetae ducti, quibus Tu quidem tantas doctrinae copias effudisti, ut post Scholia antiqua plus in hoc genere non sit ad Pindarum allatum a quoquam interprete. Neque tamen post haec deponebamus poetae studium; videbamus varias esse difficultates, quibus nondum satisfactum esset, et quemadmodum aliis acutioribus multa reliquissemus invenienda, sic etiam nobis sperabamus novas hic illic explicationes oblatum iri. Quum igitur ante aliquot annos editores celeberrimi Bibliothecae Graecae, quae Gothae paratur, a me postularent, ut Pindarum illustrandum suspicerem, simulque propter difficultates poetae benigne permitterent, ut meo more agerem et quae ad explicationem utilia iudicarem afferrem omnia, haud cunctanter etiam Tuo hortatu permotus promisi rem, et perfecissem prius opus susceptum, nisi valetudinis infirmitate in labore retardatus essem. Accipe nunc quid egerim. Primum editionem minorem sequutus sum, quam ante aliquot annos apud Weigelium edidisti limatissimam, servatis etiam metrorum schematis a Te confectis; sub textu autem annotationem criticam de meo posui, lectiones potiores indicans, quae ante Te habitae essent, atque etiam quae mihi adhuc emendatione egere viderentur. Commentarii autem, quem scripsi, haec ratio est: praemisi singulis carminibus Introductionem, in qua post historicas res indicatas primum argumentum narravi, idque plerumque prolixius, ut, quum versio Latina adiecta non sit huic editioni, ita eorum usibus quodammodo succurrerem, qui versionibus aegre carent; deinde vero summam sententiam

carminis explicare studui ad eamque singula revocavi. Quae res quum in maiore editione rarius a nobis facta esset, ego nunc magnam operam his quaestionibus impendi, quum explicationem universam sic clariorem et accuratiorem futuram intelligerem et artem poeticam Pindari penitius cognitum iri arbitrarer. Nec parvam utilitatem ex hoc labore cepi, qui sic multa didicerim, de quibus ante non cogitaveram. Introductioni explicationem subiectam vides, ubi et verba constructionesque illustravi et sententias historicis mythicisque rebus allatis. ac quae a Te explicata iam erant breviter indicavi ad Tuas Explicationes lectorem relegans, alia ex meis addidi; nec praeterii, si quid in arte tractationis poeticae esset, quod observationem desiderare videretur, ceterum hoc spectans per totum Commentarium, ut et docti hic illic invenirent quibus uti possent, et minus versati in talibus lectores ne desiderarent quae iis necessaria essent, unde etiam de verborum significationibus constructionibusque grammaticis paulo plus dictum quam in maiore editione feceramus. Totam vero tractationem meam ad unam formam revocavi constanter, etiam sic perspicuitatem adiuturus. Post Epinicia etiam Fragmenta explicui, quae, quum ab Hermanno et a Te eximie emendata essent atque illustrata etiam hic illic Tuis maxime praeclaris observationibus, nondum tamen invenerant qui continuam interpretationem adhiberet, qua re si quid hic illic effectum est ad interiorem cognitionem harum reliquiarum, maxime laetabor, qui denuo intellexerim quantam in hoc genere iacturam fecerimus. Denique, ne de Excursibus dicam, Dissertationem ampliorem de ratione et arte poetica carminum Pindaricorum statim hic subiectam videbis, qua quid voluerim res ipsa Te docebit. Indices autem Ern. Frid. Wüstemannus confecit, qui, quum olim inter auditores meos fuisset, rogatus, quo est in me animo, statim annuit et suscepit licet taedii plenum negotium, perfecitque, ut speraveram, optime. Ago viro doctissimo ex animo gratias. Iamque oratio eo deducta est, quo diu tendebat, ut Friderici Iacobsii et V. Ch. Fr. Rostii, editorum Bibliothecae Graecae celeberrimorum, nomina laudare possim, qui non parcentes tem-

pori attentissime perlegerunt omnia et examinarunt, antequam typis traderentur, atque etiam annotationes ex suis copiis addiderunt. Utinam Deus venerabili seni quam diutissime vitam viresque conservet, qui tot tantisque virtutibus senectutem suam ornat, et indefessus suis eruditissimis operibus antiquitatis studia adiuvat aliorumque opera curat, mihi vero cum Rostio doctissimo ita favet, ut nunquam solvere possim quantum debeo. Sed his perlectis unum nomen quaerere Te sentio nondum memoratum, Carolum Odofredum Müllerum dico; nosti enim quam familiariter utar candidissimo et eruditissimo viro, qui nunquam a me discedit, quin didicerim aliquid. Scias igitur etiam huic multum debere Pindarum, quum promptus esset ad explorandum ubicunque operam eius desiderabam, nec dicere possum quam multa praeterea e sermonibus eius hauserim Thebano poetae utilia. Sed ne haec quidem omnia sunt; addidit etiam tabulas duas geographicas, quibus Olympiam et Delphos cum valle peritissime adumbravit. Habes nunc, Vir coniunctissime, quae narrare Tibi debebam; utinam etiam ipse liber propius inspectus Tibi ne displiceat; quantum enim iudicium Tuum apud me valeat, etiam nuper denuo vidisti, quum huc venisses et quotidie sermones haberemus de studiis nostris. Redi mox iterum; mirifice delector praesentia Tua, ut Welckeri, et erigor animo. Deus autem faxit, ut quae mihi negata est firmior valetudo Tibi maneat quam diutissime, possisque rite perficere omnia, quae ad antiquitatem illustrandam meditaris. Vale.

AUGUSTO BOECKHIO S.

F. G. SCHNEIDEWIN.

Vixdum Martiale de manibus deposito paullulum me colligere inceperam et ab improbo labore requiescere, quum subito ab omni alia cogitatione avocatus sum et ad Pindarum traductus, ἀπ' ὄνου ἐφ' ἵππον, ut est in proverbio. Etenim clarissimi editores Bibliothecae Graecae a me petierunt, ut Dissenianae editionis instaurandae curam susciperem. Ego vero quo minus honorificae optimorum virorum voluntati adversarer, graves caussae obstiterunt. Nam et ab ineunte aetate poetam Thebanum admiratus studium carminum, quo quidem ad reliquos poetas lyricos perscrutandos concitatus essem, nunquam plane intermiseram et pietatem Dissenio nostro debitam laesurus videbar, si hunc librum cuivis potius alii refingendum reliquissem. Accepta igitur condicione quomodo in re gerenda versatus sim, Tibi, A. Boeckhi, breviter narrabo.

De omni Dissenii opera ut diversa et fuerint et sint hominum iudicia, hoc neminem fugit, sagacissimum virum, quum totum sese in interpretandi suavitatem immersisset et in eruendam artem summi poetae omnes nervos ingenii intendisset, crisin verborum haud pari diligentia amplexum esse. Acquievit enim fere in Tua recensione neque per

notulas satis constanter lectorem docuit, quid ex libris esset haustum, quid e quorum hominum doctorum coniectura profectum. Quamobrem nihil ego antiquius habui, quam ut aequali cura pertractarem quae ad crisin divinorum carminum pertinerent. Primum enim Tuum secutus exemplum Heynianam lectionis diversitatem, hoc est vulgatam, in margine perscripsi; in annotatione critica fontes scripturae breviter indicavi, ut nullo negotio perspici posset, vel quantum praeter mutatam a Te versuum descriptionem promota ars ex illa aetate esset, vel singulae emendationes cuius potissimum acumini deberentur. Deinde operam dedi, ut et memorabiliores scripturas codicum accurate annotarem et scholiorum testimonia gravissima paullo constantius colligerem, quam antehac factum erat, denique locos a veteribus scriptoribus citatos diligenter respicerem. Codicum nondum exploratorum subsidiis carui: Gottingensem librum interdum non sine fructu denuo inspexi.

Praeterea, id quod Te non nolle scirem, in conformandis verbis poetae meum iudicium secutus haud raro a Te discessi. In quo ego libere versatus sum, a licentia et temeritate cavi. Maxime illud mihi vitasse videor, ne pro incertis reponerem incerta. Nam quamvis Tu potissimum, A. Boeckhi, post praeclaras God. Hermanni curas ad certa praecepta artis verba poetae exegisses emendationisque quandam normam praescripsisses, tamen iniuriam facturus eram et Tibi et eruditis, qui post Te studia sua ad Pindarum contulerunt, si paratis ab illis frui noluissem. Igitur Hermanni, Ahrentis, Bergkii, aliorum copiis ita usus sum, ut de quarum veritate emendationum mihi persuasum esset, eas haud cunctanter Pindaro impertirem, reliquas in annotationem coniectas examini doctorum remitterem. Ita factum est, ut quem offero textum cum Tuis exemplaribus aliquantum discrepet. Maxime God. Hermanni acutissimis Emendationibus Pindaricis eximie adiutus sum, unde etiam plura in verborum contextum intulissem, nisi me ab novandi audacia iudicii Tui sobrietas

absterruisset. Eadem res in caussa est, cur Theodori Bergkii coniecturas, cari amici, quarum laetissima seges ipsi sponte succrescit, spreverim permultas. Vellem felicissimus coniector severior in semetipsum esset. Certe in emendando Pindaro non iis videtur corrigendi pruritum terminis cohibuisse, quos vel Tua prudentia vel condicio carminum fixit. Idem in scripturis codicum afferendis negligentius egit quam par fuerat. Sed felicissime quaedam invenit, quae ut potuerim ante publice editos poetas lyricos in communem usum convertere, factum est benignitate amici, qui singula folia sui exemplaris ad tempus mihi transmisit Cassellis. Simili beneficio dialectologus Ilfeldensis meus me devinxit, qui singulas plagulas libri de Dialecto Dorica mecum communicari iusserit, unde quanta in constituendam dialectum Pindari redundaverit utilitas quaevis paene pagina loquitur. Alia idem vel familiaribus sermonibus vel per epistolarum commercium admonuit. Singulas emendationes mihi tradiderunt alii; Welckerus autem noster, quem ex longinquis itineribus sospitem salvumque redisse ad Rhenum quam qui maxime laetor, copias exemplaris Dissenii manu annotati ultro misit, ex quo per hoc volumen pauca repetii, in altero daturus plura. Ceterum in afferendis meis ipsius coniecturis tenui modum nec nisi eas in ordinem orationis Pindaricae venire passus sum, quae dubitationibus vix fore obnoxiae viderentur.

Neque vero in annotanda periodo me continui, sed, id quod Dissenius facere noluerat, fragmentis etiam notabiliores scripturae discrepantias subieci, simul ubi Te ducem deseruissem indicavi. Quorum quaedam quod ex codicibus Parisinis paullo certius licuit corrigere, debetur id Friderici Duebneri singulari in me benevolentiae. Excursus Dissenii servavi integros neque fas putavi in disputationem operi praemissam falcem immittere. De meo praeter indicem notularum addidi brevem de vita rebusque poetae narrationem. In qua conscribenda elegantem libel-

lum Rud. Rauchensteinii Argoviae nuper emissum non fuisse ad manum est quod doleam: singulorum locorum observationes passim commemoratas in Addendis proposui.

Habes, A. Boeckhi, rationes operae meae breviter descriptas. Quae si Tibi Tuique similibus philologis non improbabitur, et vehementer laetabor et faciam sedulo, ut absolutis commentariis Martialis alacri animo alterum volumen aggrediar, periculosae plenum opus aleae. Tu interim Tibi ita persuade, Vir Summe, haec ad Te non ideo me scripsisse, quia Dissenius Tuus Tibi priorem editionem dedicasset, sed ita sentio, quaecunque de Pindaro hac aetate edantur, ea quodam iure ad Tui nominis clarorem alligari debere nec cuiquam, qui Tua immortalia merita de Pindaro deque universis studiis antiquitatis mente animoque comprehenderit, committendum esse, ut erga Te minus gratus fuisse videatur. Quodsi Tu opella mea Dissenii nostri, cuius caram imaginem in pectore infixam gero, memoriae non pessime consultum iudicaveris librumque redditum esse aliquanto utiliorem, suscepto muneri cumulate satisfecisse videbor.

Vale, Vir Summe, mihique, ut facis, favere perge.

Scribebam Gottingae die XVI. mensis Iunii MDCCCXLIII.

DE RATIONE POETICA CARMINUM PINDARICORUM ET DE INTERPRETATIONIS GENERE IIS ADHIBENDO *).

Proprium fuit classicae Graecorum artis, ut ratione ageret, non caeco impetu, quum tantum haberet hic populus cum sensu acumen coniunctum, ut etiam poeticus spiritus non obscuraret mentis aciem, sed concentu mirabili virium quae invenirent ingeniosissime simul revocarent ad clarissimas formas. Non sunt hic inanes, vagi, confusi, inexplicabiles sensus, quos complecti animo nequeas, sed quo penitius in intima compositionum penetres et quo subtilius eas examines, eo magis quam clare sint omnia cogitata sentis et quanta perfectione artis expressa. Quidquid subtile et elegans in rationibus sententiarum, in iunctura rerum, tenent callidissime; quid sit praeparare scite, transire suaviter, amplificare magnifice, tegere ingeniose, admonere decore, non possis melius discere

*) [Pretium erit contulisse diversas hominum doctorum de Dissenii disputationibus sententias, G. Hermanni Opuscc. VII. p. 18 seqq., A. Boeckhii Annalibus Litterar. Berolin. 1830. II. p. 599 seqq., F. G. Welckeri Musei Rhenani Vol. I. anni 1832. p. 461 seqq. et in egregia commentatione de consilio aliquot carminum Pindaricorum. ibid. Vol. II. anni 1833 p. 364 seqq., denique Fr. Thierschii admonitiones in Actis Academiae Monacens. Vol. II, 1. p. 50 seqq.

Contra obtrectatores eiusmodi quaestionum difficillimarum multisque taediosarum, sed ad persentiscendam artem poetae valde necessariarum Dissenii praecepta dilucide explicatis rationibus praeclare tuitus est C. O. Muellerus Praefatione Dissenii Opusculorum p. XLIX seqq. SCH.]

*

aliunde, nec fuit gens, quae in tractatione et inventione tam singulare acumen tamque mirificum iudicium ostenderet quam Graeci. Quae res quum in aliis plurimis scriptoribus luculenter apparet, tum in Pindaro, a cuius intelligentia longe olim abfuerunt qui caeco impetu abreptum in alia omnia abire putarunt, sive imperfectam talem rationem dicerent sive admirarentur et veri ingenii documentum haberent. Sed hoc errore vix est hodie qui teneatur, postquam de universa poesios Graecae ratione rectius iudicari coeptum est, etsi quantam infra ostendam in hoc poeta artem fuisse non omnes in animum induxerint. Eximie vero viam nobis munierunt imprimis Friderici Iacobsii et Friderici Thierschii praeclarae disputationes, quarum hic in Praefatione ad Versionem Germanicam poetae, ille in Additamentis ad Sulzerum ita de Pindari arte egit, ut permulta monita et explicata habeamus egregie, nec possit magnificentia horum carminum incognita esse cuiquam, qui ista legerit. Nec minus in Boeckhii editione qui attenderit multa ab editore Berolinensi hic illic notata videbit acute, et a Muellero in libro de Doriensibus. Quae omnia hic repetere non est animus, licet nota ea velim omnibus, qui ad Pindari lectionem accedant; sed addere potius his constitui alia, quae ipse diuturniore usu observasse mihi videor. In qua re ita versabor, ut ad tria capita omnem disputationem revocans simul sic interpretationis genus in Commentario adhibitum illustrem et confirmem. Dicam vero primum de sententiis summis, quae his carminibus subiectae, deinde de tractatione argumenti, denique de dispositione partium.

DE SENTENTIARUM RATIONE, QUAE EPINICIIS SUBIECTAE.

Quum omne carmen summa aliqua sententia (Grundgedanken) contineatur toti subiecta, unde singulae in eo positae partes pendeant, Epiniciorum Pindaricorum rationem exploraturis prima et maxima ante alia omnia offertur haec quaestio, quales sint et quomodo compositae summae carminum sententiae in hoc genere poesios. De qua re iam videamus. Sunt haec carmina victoriis scripta e ludorum certaminibus reportatis; victoriae igitur ludicrae laus inesse debet, non dico in carmine unoquoque, quod per se patet, sed in ipsa summa cuiusque sententia, veluti in Hymnis dei laus fundamentum est aut in Threnis querela de mortuo, nec dici posset Epinicium carmen, a cuius fundamento victoriae ludicrae laus abesset. Tamen opus non erat, ut totum carmen ea re occu-

paretur, quod rarissime factum; sed quum vel simplex vel composita sit sententia summa, victoriae laus plerumque pars est eius, adhibitis etiam aliis rebus multis ad fundamenta Epiniciorum componenda. Quae quidem res quales sint, mox videbimus; interim illud patet, talia ubique eligi debuisse, quae cum victoriae laude apte sociari et conflari potuerint in unam poeticam sententiam. Quare etiam sic a victoriae laude tanquam a principio proficisci debet disputatio nostra. Ut igitur ad hanc paulo propius accedamus, possunt, aio, victoriae ludicrae omnino duobus modis laudari, siquidem vel virtus, ἀρετή, praedicari potest, quae victoriam reportavit, vel decus et felicitas per victoriam a diis donata, εὐτυχία, quum nihil gloriosius et felicius haberetur quam vicisse in ludis publicis; atque haec observatio simplex viam nobis patefaciet ad omnium Epiniciorum fundamenta penitius perspicienda.

Dicemus primum de virtute. Est haec ἀνδρία victoris. Atque ἀνδρίαν pro themate poni par est maxime in luctatorum, pugilum, pancratiastarum, quinquertionum, cursorum armatorum victoriis, quorum certamina roboris et fortitudinis luculenta documenta sunt, idque factum in his carminibus, Ol. VIII. IX. XI. XIII. Pyth. VIII. IX. Nem. II. III. IV. V. VI. VII. X. Isthm. IV. V. VII., quorum omnium fundamenta tota aut ex parte fortitudinis laude continentur. Atque etiam simplicem cursum huc relatum videas Pyth. XI. et Nem. VIII. Sed curules per aurigam reportatae victoriae ab hoc loco alienae sunt; sin ipse victor sua manu rexit currum, laudari potest ἀνδρία, ut in Herodoto Thebano factum Isthm. I., qui saepissime certaverat et vicerat, et in Agesia Iamida Ol. VI., qui quum etiam bellator insignis esset, commode fortis et strenuus viri animus celebratur, non reformidans labores et pericula. Videbimus enim etiam postea cum ludicra virtute bellicam passim coniungi commode in unum. Postremo notandum est carmen Pyth. VI., ubi poeta, quum Thrasybulus adolescens auriga pro patre Xenocrate vicisset, suaviter pietatem filii celebrat pro patre certantis, quod illic pulcrius esse sentis fortitudinis laude. Atque ita vides quod dixi, posse primum harum victoriarum laudem sic tractari, ut virtus canatur victrix, quae fere ἀνδρία est, nisi quod Pyth. VI. ob indicatam causam pietas substituta, et alia ratio Pyth. I. deprehenditur mox explicanda. Sed raro tamen unius huius virtutis laude totum carmen occupatur, ut factum Ol. IX. Nem. II. et Isthm. V. In carmine priore Epharmostus laudatur luctator

plane singularis, in omnibus sacris ludis clarus, cuius ἀνδρίαν divinitus insitam dicit poeta, atque etiam fabulis illustrat. Similiter Isthm. V., quod carmen Lamponis filiis Aeginetae et maxime iuniori Phylacidae dicatum, omnia ad fortitudinem puerorum ornandam pertinent, quae etiam futurae Olympicae victoriae spem praebeat. De Nem. II. non est quod dicam. Sed haec pauca exempla sunt; plerumque alia additur a poeta virtus, quae vel adsit una cum fortitudine vel adesse debeat et commendetur, atque ita ad compositas accedimus sententias, quae duarum virtutum cardinalium laudem coniunctam habent. Sic Ol. XIII. in Corinthi laude duo proponuntur coniuncta, ad quae totum carmen revocatur, fortitudo civium proeliis ludicrisque victoriis plurimis spectata et ingenii prudentia, sollertia, elegantia (das Tapfere und Kluge). Porro Nem. III. vis et fortitudo per tres vitae aetates excellens componitur cum sapientia senili. Atque ut ad alia pergam, Ol. VIII. pietas iustitiaque cum fortitudine in Aeginetis praedicatur, ut Isthm. VII. fortitudo cum iustitia et pacifica mente. In carmine Nem. X. qui canitur Theaeus luctator est eximius admirabili robore virium idemque mollioribus fraterni amoris sensibus indulget, ut ego explicui; Ol. V. autem in Psaumide certatore labor strenuus laudatur et sumptus liberaliter impensi. Denique non minus suaviter σωφροσύνη, moderatio, modestia cum fortitudine componitur, ut ter poeta in carminibus adolescentibus scriptis fecit, Pyth. IX. Nem. V. et Pyth. XI., atque in prioribus specialiter castitatem et pudicitiam amoris commendat, in tertio autem carmine ad politicam moderationem et modestiam hortatur, dissuadens insolentiam et ὕβριν, laudansque Castorum et Iolai ἀνδρίαν a violentia et superbia intactam. Ac modestia etiam Midae Pyth. XII. commendatur, virtus tamen ibi non fortitudo est, sed peritia artis auleticae. Succedat alia ratio. In iis quae explicui exemplis componitur ἀνδρία ludicra cum alia quadam ingeniosiore, leniore, pulcriore virtute, ut sollertia, pietate, iustitia, moderatione; bellica autem laus si qua est, coniungitur cum gymnica in unum, ut Ol. XIII. bellica et ludicra fortitudo pro una est, quae opponitur sollertiae mentis. Sunt vero etiam carmina, ubi distinguitur gymnica virtus a bellica, et oppositione pacis et belli summa sententia continetur, ut Pyth. VIII. et Isthm. IV. Aegina ludicris bellicisque victoriis clara laudatur, similiterque Isthm. I. Thebarum urbs, ut videtur; in quo nexu etiam poesis et gymnastica coniunctim ut pacis artes bellicae fortitudini opponi possunt, quemadmodum in Fragmento Isthm. IV. fecit, quae aliis in locis

separantur et sibi opponuntur tanquam Mars et Calliope (Ol. XI, 14. 15. X, 19.). Atque ita accedimus ad carmen Pyth. I. Quum Hiero paulo ante Etruscos ad Cumas vicisset, ut prius Carthaginienses cum fratribus ad Himeram, idemque Aetnam urbem condidisset Doricis institutis et legibus, nunc autem in Pythiis curulem victoriam tulisset, his omnibus poeta eximie sic utitur, ut regem et bellicosum et pacis instituta artesque colentem laudet, qui urbes condat et ludicra certamina cantusque epinicios amet, alio vero tempore proeliis fuderit hostes. Inest igitur etiam hic ludicrae victoriae laus ut pars in summa sententia, neque tamen ἀνδρία ludicra laudatur, quod non poterat fieri in victoria per aurigam reportata, sed quum etiam bella regis canenda essent, scite ad pacis artium amorem victoria curulis revocatur coniungiturque cum Aetnae recens conditae laude, quo facto praeclarum illud regis exemplum exsistit in Commentario a me explicatum, in quo regiae maiestatis severitas et bellica fortitudo coniuncta est cum pacificis moribus, cum iustitia, lenitate, musices amore ceterisque mitioribus sensibus. Denique dico de carmine Isthm. II. in Xenocratem scripto pluribus victoriis curulibus ornatum, qui quum largis sacrificiis deos coleret et hospites benignissime exciperet, etiam equos alendi studium ad hoc genus laudis refertur, et quum praeterea iustus ac mitis esset in cives, exsistit nova societas virtutum, iustitiae et munificentiae in optimis quibusque rebus. Atque haec hactenus. — Restant alia nonnulla carmina recensenda, ubi non solae virtutum laudes sunt, ut in antecedentibus omnibus, sed cum alia re victrix virtus deprehenditur a poeta coniuncta. Tale est primum Nem. VI., in quo virtus cum defectu virtutis componitur. Erat Bassidarum gens in Aegina pugilatu per totam Graeciam celeberrima, tamen etiam in hac Herculea gente imbecillitas humana conspiciebatur luculenter, quiescente et cessante alternis robore gymnico eius. Hinc Pindarus et similes homines esse diis et dissimiles maximopere canit exhibetque ἀνδρίας summae laudem cum imbecillitate humana coniunctam. Alia ratio in sequentibus est. Ol. XI. Agesidamus celebratur, pugilatu qui olim vicerat puer in Olympia, carmen autem tum non tulerat promissum, quod quum poeta longo tempore post redeuntibus aliquando victoriae sollemnibus mitteret, pulcra inventione victoriis, ne obscurentur, sacro ritu cantum et epinicia deberi docet, proponens, ut vides, duo, quae debeant esse coniuncta, res gestas et κῶμον. Simile est Nem. IV., ubi Timasarchi luctatoris virtus laudatur, quum vero graviter attrito

corpore victoria reportata esset, simul lenimen laborum per carminum laudem afferre se dicit, et in fine post alias victorias alios illi dulces honores amoris auguratur. Sic cum fortitudine recreationem habes et compensationem laborum propositam. Nem. VII. Sogenis quinquertionis tractatur *ἀνδρία*, qui quum inimicos et obtrectatores haberet, genuinae virtutis praestantiam ostenditur aeterno honore a diis ornari, Musa Sogeni, qui carmen quaesivit speculum virtutis futurum, nunc pretiosissimam et durabilem maxime coronam parante, calumniis inimicorum diuturniorem. Canitur igitur hic virtus laudis et honoris praemio indelebili decorata. Diversum est et tamen simile Nem. VIII., ubi cum virtute fortuna adversa et secunda virtutis composita. Quum enim Athenienses Aeginam tum expugnare conarentur, quod etiam factum, poeta invidiam pessimam exagitat, quae olim Aiacis virtutem invaserit, nunc autem insulae praeclara decora delere cupiat; cui tristi malo eximia inventione amoris iucundius augurium opponit, ostendens Dinidi adolescenti coniugii futuri gaudia, insulae autem exterorum amorem et benevolentiam, fato ei debitam. Sic igitur virtus laborat invidiae malo, praemium vero et compensationem laborum amorem habebit. Claudat agmen carmen Ol. VI., ubi in altera parte sententiae *ὄλβος* laudatur Iamidarum et Agesiae, virtute ortus, in altera vero societas duarum virtutum, quum Agesias vaticinandi arti genti suae ab Apolline insitae fortitudinem adderet victor Olympiae et bellator strenuus. Habes cum virtutibus optimis *ὄλβον* coniunctum. Atque haec hactenus.

Accedimus ad alteram partem huius capitis. Vidimus virtutem laudatam in victoria; quum vero victoriae adeptio simul laetissima et felicissima res haberetur, quae Graeco homini et urbi contingere posset, plurimumque decoris et gloriae afferret, nascitur sic altera ratio laudis, de qua nunc videbimus. Proprium huius generis est, quod sola per se laus felicitatis quum non placeret Graecis, sed superba videretur et insolens, non simplex, sed composita deprehenditur sententia in omnibus quae huius loci sunt carminibus; nam etiam in paucis brevioribus, ubi simplex primo adspectu videtur esse, subest tamen composita. Sic Ol. XIV. Gratiis Orchomeni deabus honos habetur, quod decus victoriae Asopicho puero dederint, Ol. XII. autem poeta in Fortunae potentia celebranda versatur, sine qua nec Himera tyranno liberata esset Thrasydaeo, nec Ergoteles cursor coronas e sacris ludis haberet. Iam facile sentis, si diis gratiae agantur pro dono victoriae, in eo pietatem et modestiam placere cum lauda-

tione coronae coniunctam. In ceteris vero carminibus omnibus huius generis etiam manifestior est duplex in unam conflata sententia. De quo iam explicandum. Ac primum quidem decus coronae aut solum adest aut alia praeterea adsunt fortunae dona, ut militaris gloria, divitiae, regia potentia, origo illustris, quibus coniunctis exsistat ὄλβος victoris canendus. Iam cum ὄλβῳ proponi scias virtutem aliquam, ut sapientiam, pietatem, modestiam et moderationem, quae vel adsit vel adesse debeat et commendetur; nam id demum summum est cum talibus virtutibus coniunctum habere ὄλβον; sine iis invidia oritur hominum et deorum. Videamus exempla. Ducat agmen carmen Isthm. III., ubi Cleonymidae Thebani canuntur, qui genere nobiles, opulenti, bello spectati atque etiam ludicris coronis aliquoties ornati semper alieni manserant a superbia et insolentia, unde, iis licet etiam adversa saepius accidissent, firma tamen stetit fortuna per saeculorum decursum, nunc novis coronis aucta. Est igitur thema carminis praestantia et diuturnitas fortunae cum modestia coniunctae. Et Cleonymidae quidem habebant modestiam, plerumque vero commendatur, ut adsit, et dissuadetur ὕβρις. Sic Pyth. X. Phriciae Thessali fortuna eximia praedicatur, qui genere nobilissimus et opibus fortunatus quum ipse victorias praecipuas ludicras reportaverit, nunc etiam filium videat tenera aetate victorem, atque ita assequutus sit quantum homo assequi possit. Idem vero monetur diis omnia deberi et mutari posse fortunam, nisi pietas simul adsit. Carmen Nem. IX. in Chromium Syracusanum est, regiae familiae affinem. Hic vir opulentus et gloria militari maxima quum nunc etiam ludicra ornamenta haberet, frui dicitur admirabili felicitate. Tamen non minor erat ambitio principum Syracusanorum, et quum iterum bellum meditarentur, poeta hoc dissuadet maximopere et moderationem commendat, ne deorum ira excitetur. Carmine Nem. XI. Aristagoras Tenedius monetur, ut a superbia abstineat et tyrannidem ne affectet, qui opulentus, formae pulcritudine insignis et in certaminibus multis victor tum etiam magistratu summo insulae ornabatur. Accedimus ad carmina Ol. I. et Pyth. II., Hieroni scripta. In priori significatur Hieronem cum regia potentia maxima virtutibusque pulcris Neptuni favorem habere eximium, qui cum equestri studio imbuerit et nunc victoriam equestrem in Olympico certamine dederit, omnium ludorum celeberrimo. Sed quum rex etiam curulem meditaretur, ut potiatur hoc decore, poeta simul ad pietatem hortatur et superbiae poenas proponit, ad quam inclinabat Hiero.

Sic cum felicitatis laude vides pietatis et modestiae admonitionem coniunctam. In carmine Pyth. II. bellicam ludicramque gloriam, divitias, potentiam regiam Hieronis laudat; sed cum ὄλβῳ singulari sapientiam coniunctam vult, a qua tum maxime aberrabat rex, monetque, ne crudelitate et cupiditatibus pravis in deorum benefactorum iram incurrat. Denique similia sunt carmina Pyth. IV. et V., Arcesilao, Cyrenarum regi, scripta. In quinto praestantia ὄλβον cum virtutibus coniuncti canitur. Et ὄλβον quidem intellige divitias, potentiam regiam totamque a maioribus traditam fortunam, ad quam nunc etiam Pythia victoria accedit. Hunc ὄλβον virtutibus multis ornabat rex, qui consilio validus, fortis ac strenuus, musicarum artium et ludicrorum certaminum peritus esset. Idem vero ad superbiam inclinabat, nec diis quantum deberet semper recordans, nec hominum de se merita ubique agnoscens. Quare quum etiam Olympicam victoriam meditaretur, admonitio pietatis et gratiarum amicis aurigaeque referendarum admixta est laudi. Indicantur igitur quas habeat rex et quas habere debeat virtutes ὄλβον socias. Denique in Pythio quarto primum regia dignitas laudatur Battiadarum et Arcesilai Apollini maxime debita, qui nunc etiam victoriam Pythiam addidit, deinde vero gravissime commendatur lenitas et clementia, quum in turbis civilibus antea ortis iracundius saeviisset rex in principes quosdam viros et perditum iret regnum. Iterum vides cum fortuna moderationem laudari coniungendam. Atque haec quidem de his. Sunt vero in hoc genere, quod explicamus, etiam aliae quaedam suaves rationes. Primum enim victoriae decus etiam praemium dici potest virtutum, quae in victore sint. Tale est carmen Ol. III., ubi Theronis corona praemium pietatis dicitur a Tyndaridis datum pro cultu studiosissimo, dignitas autem coronae mythica narratione illustratur. Sic enim nunc clarius explicuerim sensum illius carminis. Sed magnificentius exemplum huius rationis est Nemeaeum primum. Laudatur ibi in Chromio optimarum virtutum societas, prudentiae in divitiarum usu conspicuae et fortitudinis bellicae; corona autem Nemeaea et quam auguratur poeta, Olympica praemium virtutum est: fruetur, ait, Chromius placida post labores vita ludicrorum certaminum coronis summis ornata. Atque attendas velim ad ornatum compositionis. Diximus supra de coniunctionibus duarum virtutum; hoc genus etiam hic adhibuit; sed quum supra explicatis in carminibus universum fundamentum duarum virtutum laude contineatur, hoc loco altera pars sententiae victoriae praedicatio est, altera duas virtutes com-

plectitur. Satis de hoc; pergo ad ultimam in hoc genere rationem. Potest victoriae adeptio etiam pro consolatione esse malorum, quae antecesserunt; atque etiam huius rationis aliquot carmina exstant. Isthm. VI. scriptum videtur post proelium ad Oenophyta, quo graviter afflicti erant Thebani. Huic calamitati opponit poeta prisca ornamenta urbis et recentem victoriam Strepsiadae, ut documenta favoris deorum et solatia ac fomenta maeroris, monstratque novam coronam, si modestia adsit. Subiicio sententiam carminis Pyth. III. Ibi monetur Hiero, quum dii bina mala dent uno cum bono, ut morbum et filiae mortem aequo animo ferens consoletur tristitiam usu boni, quod habeat, quam aptissimo et laetissimo, opulentia regia, victoriis ludicris reportandis et comissationibus epiniciis poetarum adhibenda, id quod etiam faciat. Sed magnificentius hoc nomine nihil carmine Ol. II. Quae prisco fato in gente Cadmi constituta erat vicissitudo memorabilis adversarum et secundarum rerum, hanc etiam in Theronis rebus, qui originem trahebat a Cadmidis, versari docet. Ac mala quae expertus erat domestica rex sunt fuga filiae e regno Hieronis et proditio, quam moliti erant propinqui Capys et Hippocrates. His opponuntur consolationis causa laeta illa, quae iam contigerunt et in posterum contingent, coronae Olympicae adeptio et futura beata vita post mortem cum aureis coronis. Neque tamen haberet Thero hanc malorum per secundas res compensationem, nisi etiam virtutes praeclarae in eo inessent, fortitudo bellica et iustitia liberalitasque singularis. Sic eximia inventione coniunctas hic vides duas rationes compositionis, quas modo vidimus; compensantur adversa secundis rebus, quae ipsae praemium sunt virtutum regiarum. Igitur quum duae partes sententiae sint, in altera societas virtutum cardinalium tractatur, in altera compensatio malorum per secunda, ut nunc etiam pars utraque sententiae composita sit, qui est summus in hoc genere ornatus. Restat Ol. VII., in quo carmine iterum fortuna victoriae cum adversa re composita est, sed alio modo atque ita, ut haec excusetur. Diagoras Rhodius pugil longe celeberrimus quum in Olympico certamine novum decus patriae reportaret, factum videtur infelici casu, ut unus ex adversariis pugilibus gravius vulneratus moreretur. Unde Pindarus ingeniosa inventione fatum Rhodi aeternum canit e decoribus et erroribus mirifice mixtum, siquidem quae magna et eximia ornamenta insulae contigerint, iis semper etiam casus quidam et errores iuncti fuerint praeter voluntatem commissi. Eandem rem in altera parte carminis aliter tractat ita, ut

cum fortitudine iustitiam viri laudet a violentia alieni. Est igitur tractatio duplex ad idem rediens; utraque sola per se integram sententiam habet et per se sola placet concinna membrorum duorum compositione.

Perlustratis carminibus omnibus observationes nonnullas addo. Igitur primum vides virtutes cardinales vulgo dictas per omnia Pindari carmina tractari, quae diu ante philosophos inde a priscis temporibus in religionibus, in fabulis, in legibus civitatum, in carminibus poetarum, in moribus et sensibus populi habebantur. Prima est quae toties in Epiniciis laudatur fortitudo, *ἀνδρία*, *ἀλκά*, *βία*, *τόλμα*, *σθένος*, *θράσος*, *ἀκμαὶ ἰσχύος θρασύπονοι*, *ἀρετὰ κατ᾿ ἐξοχήν*, in robore corporis animique conspicua. Huius sunt *πόνοι*, *μόχθοι*, *ἔργα*. Est vel ludicra et in ludorum certaminibus versata, vel bellica, et vidimus nunc ludicram solam celebratam, nunc ludicram et bellicam coniunctam una notione comprehensam, nunc denique distinctas ambas, oppositis pacis bellique artibus. Succedat quae apud philosophos *φρόνησις* dicta, vulgo autem omnino complectitur mentis ingeniique vim et acumen, solertiam, prudentiam, sapientiam, *φρήν*, *σύνεσις φρενῶν*, *μῆτις*, *βουλαί*, *σοφία* (das Verstandvolle, Kluge, Sinnige, Einsichtige). Huius est acute videre in quaque re, excogitare et invenire pulcra et ingeniosa, providere futura, intelligere ubique, quid sit optimum et verissimum, consilia recta capere (*καρπὸς φρενῶν*), etiam nosse se ipsum et rerum humanarum imbecillitatem, nec cupere stulte quae data non sint. Porro *σωφροσύνη*, temperantia, verecundia, modestia, moderatio, est quae modum tenet in omnibus et decorem, cupiditates cohibet, non affectat nimiam fortunam et a superbia insolentiaque abstinet, ut solent homines in prosperis rebus *ὑψίφρονες τὰ μακρὰ παπταίνειν*, *μεγαλανορίαις ἐμβαίνειν*, et ad *κόρον* et *ὕβριν* inclinare. Sic haec virtus interdum eodem redit cum *σοφίᾳ*, ut fit in rebus humanis, potestque non semel sapientia et moderatio dici in eadem re, nisi quod *σοφίας* nomen fere senioribus, *σωφροσύνης* iunioribus videtur accommodatius. Denique iustitia, *δίκα*, vulgo *δικαιοσύνη*, dicitur, si suum cuique tribuas, pie colas deos, in homines mitis et aequus sis et abstineas vi, crudelitate, saevitia, atque etiam bonitatis, benevolentiae et amoris sensus huc revocabant veteres. Ceterum pertinet eodem, ut per se patet, etiam *ἡσυχία*, *εὐνομία*, *Θέμις* in civitatibus saepe laudata, quod *ὑπὸ στάθμᾳ νέμεσθαι* est dictum Fragm. IV. Isthm. Sunt vero alia religione et a diis praescripta, alia legibus et politico iure; illa *θέμις*, haec *δίκη* dicitur proprie (cf. ad Fragmen-

tum citatum). — Iam harum virtutum pulcherrimas compositiones vidimus, quarum ratio haec erat, ut opposita coniungerentur maxime, acutum et forte, robur et prudentia, ἔργα καὶ βουλαί, porro fortitudo cum verecundia, modestia, moderatione, aut cum pietate, iustitia, benignitate, pacificis moribus et mollioribus sensibus amoris, atque etiam ubi in Xenocrate venerabilis dignitas iustitiae cum munificentia et liberalitate componitur, non desideraveris oppositionis vim. Omitto alia breviter nec per totum carmen laudata, ut prudentia cum iustitia Nem. X, 12., h. e. consilio valere et probe agere. Praeter has virtutum coniunctiones vidimus deinde in alio genere carminum ὄλβον, decora et ornamenta vitae composita cum virtutibus, eaque ratio duplex erat, siquidem nunc commendabantur hae virtutes fortunato victori, quo maneret favor deorum, nunc quum adessent, felicitatem aut laudes poesios pro praemio habebant et compensatione laborum. Denique pauca alia sunt, ubi consolatio agitur et decora fortunae adversis rebus opponuntur. Est igitur satis clarum, opinor, quales sint sententiae Epiniciis subiectae. Sunt omnes ethicae, ac simplices quidem nonnisi in paucis carminibus, ut ego censeo; cetera enim omnia compositas habent ex duobus membris; atque in quibusdam carminibus eximio ornatu etiam membra sententiae sive alterutrum sive ambo composita vidimus ex duabus rebus. Victoriae autem ludicrae laus, ut supra dixi, inest ubique, quemadmodum postulabat Epiniciorum ratio. Sunt porro hae compositiones tales, ut non vi contineantur duo quae composita membra, quemadmodum quae specie conspirant, intus vero dissident, sed suapte natura congruunt et coeunt, in unum quasi debeant coniungi, simulque totum ubique efficiunt in suo genere absolutum, cui nihil desit. Quid enim deest ad perfectam speciem absolutamque sententiam, ubi consilium cum fortitudine, robur cum modestia aut iustitia, bellum cum pace componitur, ubi fortuna virtutibus ornatur, virtus post labores requie fruitur beatissima, res adversae consolationem habent per secundas? Nec concentus rerum cogitari potest perfectior nec plenior sententia; ut in artis operibus pulcherrima convenientia partium delectat, sic apud Pindarum in his rebus, quas ubique tam scite et venuste componit etiam ex compositis compositas, ut artificem videas longe exercitatissimum. Atque haec est intima horum Epiniciorum pulcritudo atque praestantia, in ipsis fundamentis carminum posita atque inde tanquam anima per corpus diffusa in omnes partes, quemadmodum omnis poematis prima laus est, si sententia nititur vere poetica, sana,

pulcra, ingeniosa, sublimi, et frustra undequaque rerum et verborum ornamenta adsciscas, fundamentum ubi intus nullum sit aut cassum et inane. Quanquam vulgo multi singulorum locorum luminibus capiuntur, altius penetrare in intima compositionum non opus habent. Pindarus vero, quo erat ingenio, non solum vere poetica, sed etiam aptissima personis, locis, temporibus posuit ubique carminum fundamenta, nec quidquam in hoc genere probavit, quod non simul praesentibus rebus plane conveniret atque inde ductum esset: quae est altera laus lyricae poesios et horum Epiniciorum. Hoc tamen ut pluribus probem non est opus post ea, quae in Introductionibus ad carmina atque etiam supra iterum exposita sunt; non pauca in Scholiis tradita habemus, alia Pindarus ipse indicat, interdum quidem brevissime, ut attenta lectione opus sit, veluti ubi novae victoriae agitantur, quo tamen referendae sunt pietatis et modestiae admonitiones in carminibus Ol. I. Pyth. V. Isthm. VI. et Bellerophontis fabula Ol. XIII. Denique alia coniectura suppleta videbis a Boeckhio aut a me facili nec longe petita; ut nullum carmen exstet, cuius ratio plane inexplicabilis sit. Ac monuit dudum ante nos etiam Iacobsius in Additamentis ad Sulzerum, qui semel Pindari artem perspexerit, eum non dubitaturum ibi quoque ratione egisse poetam, ubi ex antiquitate nihil traditum habeamus, quod causas dictorum explicet.

DE TRACTATIONE ARGUMENTI.

Sententia carminis explicatur directa oratione et fabulis; de utroque genere dicemus singulatim.

I. DE DIRECTA TRACTATIONE.

Fabulis tecta continetur laus vel admonitio, directa oratio ipsam rem significat et cursum carminis ut plurimum regit; hac igitur quid dicat Pindarus, ante omnia quaerere debet interpres. Ac primum quidem, ut hinc ordiar, quoniam victoria est, quae canitur, praeter victoris nomen necessario in quovis Epinicio etiam locus nominari debet, ubi corona parta; qua observatione ductus Boeckhius optime vidit Pyth. II. Thebis reportatam victoriam spectari, quum aliud nomen in carmine non exstet, ac plerumque aut in prooemio aut statim post prooemium loci nomen indicatur. Inest vero vel in ipsis nominibus sacrorum ludorum satis magna laus, ut rarissime haec amplius illustrata videas, nec nisi in carminibus peregre missis, Ol. I. III. XI. Pyth. V., ubi iucundiora talia. Sed praeter locum etiam genus certaminis indicari

debet, lucta fuerit an pugilatus, pancratium, quinquertium, curulis victoria, alia, quod non factum Ol. XIV. brevissimo carmine. Nam talia quidem historica fundamenta sunt, quibus hymnus Epinicius nititur, nec definita sit laus victoriae aliter. Denique etiam deus ludorum pulcre institutum est a poeta ut fere ubique laudetur, quod bis neglectum video, Pyth. XII. Isthm. IV., peculiares, puto, ob causas; atque interdum fabulis simul inest dei laus, ut Ol. III. Pyth. III. IX. Nem. V. VIII. Isthm. VII., plerumque vero directa oratione tractatur, suaviter nunc hoc nunc illo modo illata. Haec quidem de his: ad res ipsas propius accedimus. Sunt autem laudes, admonitiones, preces, quae oratione directa tractantur, de quibus rebus nunc videndum.

Atque ut primum de laude virtutis ludicrae exponam, illustratur haec maxime ex rebus gestis victoris et familiae gentisque, si haec gloria et fortuna simili excellit. Sic primum robur et dexteritas victoris in certamine probata laudatur Ol. VIII, 67. Pyth. VIII, 81. Ol. IX, 91. Nem. III, 16. Isthm. III, 63.; nec tacetur etiam, si quid adversi accidit, ut Ol. XI, 15. Nem. IV, 32., quod victoria in laudem verterit; memoratur denique suaviter etiam formae pulcritudo interdum cum fortitudine, ut Ol. VIII, 19. IX, 94. XI, 100. Isthm. VI. 22. al.; sed rariora tamen sunt haec quidem et multo minus adhibita ornamenta omnia, quam exspectaveris in Epinicio carmine, ac frustra hic quaeras descriptiones luctae aut pancratii longiores variosque modos certaminum expositos, quae res largam dicendi copiam praebere potuisset. Nimirum Epinicius hymnus talia breviter tractat et summatim, quorum uberior et verbosior descriptio aliena ab eius magnificentia; at in Hyporchematis, Encomiis, Scoliis plura huiusmodi lecta crediderim, quemadmodum etiam equorum curruumque ampliores laudes; cf. Nem. IX. fin. et quae ad Fragmenta diximus. Illud vero maxime hic moris est, ubi plures victoriae a victore aut eius familia et gente reportatae, ut nominatim memorentur, atque hoc genus laudis in plurimis carminibus tractatum reperies. Interdum oratio simplicissima est, ut nihil nisi ipsa nomina locorum legas, nullo alio ornatu admixto, veluti Ol XIII. fin, in aliis maior deprehenditur varietas dicendi, imprimisque ornate tractatus est locus Nem. X, 25 seqq. Verum ais: cur tantopere favet hymnus Epinicius his enumerationibus, quae vulgo videntur ieiunae, ut plerumque multos versus impleant? Quia vere magnifica est tot ludorum per Graeciam enumeratio, tot praemiorum tot diis debita reportatio, ut directa oratio vix habeat quibus magis ornet

victorem. Quam enim aliam vim habent hae victorum, patrum, avunculorum, patruorum, avorum, maiorum denique memoratae res gestae, quam ut *δαίμων γενέθλιος*, ut *πότμος συγγενής* in luce ponatur, qui nunc in victore denuo viguit? Ac ne de solis victoriis loquar, quum Nem. VII. Thearionis patris omnibus bonis ornata sors praedicatur aut Isthm. I. Asopodori post triste exsilium restituta antiqua prosperitas, etiam hoc eum in finem factum est, ut deorum favorem et fundamenta fortunae videamus, quibus filiorum praesentes successus nitantur. Haec enim omnia ut per se placent maximopere, ita ad victoris laudem augendam pertinent. Quo loco memorandae etiam magistrorum laudes sunt; quum enim suavi pietatis sensu institutum sit, ut, si pueri canantur, simul magistri laudentur, tamen etiam discipuli virtus sic declaratur luculentius, veluti Ol. VIII. Melesias magister, per quem triginta a discipulis variis coronae reportatae, non minima laus est Alcimedonti, aut Pytheae Menander claris ab Athenis Nem. V. Ac quum etiam ad defunctos in talibus carminibus nuntius deferatur, simul ab effectu laudari vides victoriam, quum manes quoque in Orco ea exhilarentur. Nam ab effectu quidem etiam Psaumidis victoria Ol. V. laudatur per totum carmen, quod patriae deos tutelares conatibus suis ornaverit vir praeclarus. Sed praeter ludicras res bella quoque et proelia memorari apud Pindarum videas, ubi quid illustrius gestum, ut Hieronis pugnas adversus Etruscos et Carthaginienses, servatos ab eodem Locros, pugnam Salaminiam in laude Aeginae et Lamponis filiorum, pugnam ad Helorum in laude Chromii, sed nusquam tamen haec multis verbis tractat, loquitur magnifice, sed breviter, iniucunda vero, ut proelium ad Plataeas Isthm. III., ad Oenophyta Isthm. VI., intestinum Theronis bellum adversus proditores, ubi memoranda sunt, nomina tacet. Atque haec quidem pleraque omnia ad *ἀνδρίαν* celebrandam pertinent, de qua satis dictum. Laudantur praeter eam etiam aliae multae virtutes breviter plerumque, de quibus nihil notandum habeo nisi unum: Ubi cum fortitudine componatur alia virtus, aut pari ambas dignitate haberi, aut pendere fortitudinis gloriam ex altera, ut Ol. VIII. Nem. X. Isthm. VII., ubi ea propter pietatem et iustitiam contingit. Quae ratio exquisita est. — Sed praeter virtutes etiam *ὄλβον* supra docui multis in carminibus laudari, cuius tamen nusquam obscurior tractatio est, modo singula a poeta posita in unum colligas. Nam ut poesis fert, orditur fere Pindarus ab uno aliquo primario fortunae decore, plerumque ab ipsa victoriae reportatione, interdum vero etiam ab alio, tum addit

cetera pertractatque omnia vel eodem loco vel alia in parte carminis. Sic Pyth. X. orsus a nobilitate mythica familiae victricis laudanda deinde ad victorias pergit, tum divitias addit, postremo ipse omnia una notione complexus generatim felicitatem familiae laudat, summum quae assequuta sit. Pyth. II. autem in principio cum bellica laude ludicram coronam praedicat, deinde v. 57. divitias, potentiam regiam, gloriam militarem amplius tractat. Nam illud quidem etiam non monitus vides, bellicas res propter δόξαν et κῦδος etiam in ὄλβου laude optime afferri, veluti etiam Nem. IX. factum, quemadmodum ceterae quoque virtutes in tali nexu inter decora et ornamenta fortunae afferuntur, ut Ol. I, 13. Gravius est monere ita fere tractari ὄλβον a poeta, ut divinitus significet eum datum et a deorum favore profectum; quae res ut veram laudem ὄλβου continet, cuius summus splendor in ipsa divina origine inest, sic etiam admonitiones iustitiae, pietatis et modestiae optime praeparat, quae cum ὄλβου laude coniungi solent apud Pindarum. Ita enim dissuadet immodestiam et superbiam, quod non humanis viribus, sed diis debeatur fortuna, et ingratus sit ferre fortunam qui nequeat. Sic v. c. Pyth. II, 7. deos Hieroni eximie faventes exhibens praeparare vult sequentes admonitiones mythicas, quemadmodum Pyth. X, 10. Apollinis laude posita, neque alia res Ol. I, 10., ubi chorus Iovem canere in Hieronis domo debet, statim hic significante poeta quod per totum carmen agit, favore et auxilio deorum decora vitae parari et conservari, quum superbia et insolentia amittantur. Vides praeclaro indicio ὄλβου laudi non annexas extrinsecus admonitiones virtutum, sed derivatas ex ea, ut nihil est in sententiarum rationibus tam pulcrum, quod non assequutum sit Graecorum ingenium.

Sed quoniam de laudis tractatione dicentes paulatim ad alteram rerum partem, admonitiones dico, devenimus, amplius de ea re videamus. Primum igitur nusquam nude ponit admonitiones, sed cum laude miscet et inde ducit. Pyth. I, 80 seqq. post maximas laudes rerum gestarum abrumpens orationem, quia invida sit civium multitudo, tamen, ait, quoniam melior miseratione invidia, ne omitte pulcra, regna iuste et sis verax; in quo callide, ut vides, ab uno genere laudis ad aliud transit per vocem καλά. Mox etiam ad liberalitatem hortaturus Hieronem, serva, ait, indolem, quae praeclare in te viget. — Pyth. II, 72. postquam regis senilem sapientiam laudavit, per quem sine periculo dicere liceat, admonitiones ipsas orditur sic: Praesta te talem, qualis a natura factus es, tum assentatorum et susurronum pravas artes

exagitat, quibus obsequebatur Hiero. — Pyth. IV. fin. Arcesilai prudentiam laudans eumque medicum civitatis optimum dicens, sic hortatur, ut leni cura mala civitatis sanet. — Pyth. V. init. eundem postquam dixit virtute praeclara ornatum, pergit sapientes etiam permagnam bene ferre felicitatem, atque ita hortatur, ut pius sit rex et gratus erga aurigam amicosque. — Pyth. XI, 50. post laudatas victorias familiae victricis talia, ait, decora cupienda sunt divinitus data, nam iniusta et tyrannorum sors spernenda; e laudabili ipsius familiae exemplo contrarium dissuadens. — Nem. IX, 46. magnifica laude gloriae militaris ceteraeque fortunae probat satis esse Chromio felicitatis, nec quidquam ulterius cupiendum, quale genus admonitionis saepius habet, ut Ol. III. fin., Isthm. IV, 14. — Nem. XI, 33. laudans Aristagorae virtutem, quae orta e Pisandro et Melanippidis priscis, post alia interiecta tempora nunc in ipso laetius revixerit, ex hac ipsa vicissitudine viro honorifica observationes ducit de imbecillitate humana et quae sequuntur. Imprimis vero exquisita ratio est, ubi in laude rerum gestarum et felicitatis per preces pro incolumitate imbecillitatem rerum humanarum significat admonitionesque dat modestiae, ut Pyth. X, 17 seqq. et Pyth. VIII, 72 seqq., et hic quidem bis redit ad idem, interposita nova parte laudis, repetitque in fine etiam preces maiore cum vi singularem ob causam. Denique suavis etiam alia ratio est Isthm. VI, 39., ubi post memoratas proelii calamitates ad comissationem praesentem reversus, etiamnum commotus praeteritorum malorum recordatione metuensque ne redeant, modestus orat, ne quotidiana haec gaudia dii turbent, atque ita dissuadet maiora. Verum satis de his; vides mirum artificium tractationis (die feine Kunst die Ermahnung einzuleiten und zu motiviren). Alterum hoc est, quod secundae personae usum saepe evitans, ad suam personam quae aliis dicit revocat, ut Ol. III. fin. Pyth. III, 107 seqq. Pyth. XI, 50. Isthm. VI, 41., quae res etiam in laude aliquoties apte usurpata, Nem. I, 36. X, 39. Habet idem commodum tropicum genus dicendi usurpatum optime Pyth. IV, 263 seqq., atque etiam sententiae generales, ceterum per se in admonitionibus necessariae.

Diximus de laudibus et admonitionibus; addamus etiam de p r e c i b u s verbum. Sunt preces non in omnibus carminibus, sed ibi fere, ubi peculiaris causa. Talis est ubi nova victoria agitatur, ut Ol. XIII, 24., collat. 103. (neque enim nunc dubito Xenophontem ipsum curule certamen adire voluisse). Pyth. V. fin. Nem. X, 29. Isthm. V, 16. Isthm. VI. fin. Deinde preces sunt in

metu periculorum, ut propter hostes Ol. VIII. fin. Pyth. VIII. fin., quo etiam supplicatio pertinet Nem. VIII, 12., aut quum invidia laborat victor, ut Ol. VI, 102. VII, 87. Nem. VII, 80 seqq. splendidissimo loco, denique in reditu per mare Ol. VI. fin. Nec minus aptae preces Ol. II, 12. pro Emmenidis nuper in discrimen adductis, porro Pyth. I, 29. 39., et Nem. IX. 28. pro Aetna urbe recens condita, et Ol. V, 17. pro Camarina nuper restituta et victore cive. Ac quum locis quoque ubique commodis ponantur preces, unum annoto hoc, etiam transitum ab una re ad aliam saepe suaviter per precationem fieri, ut Pyth. I, 39. Nem. IX, 28. a mythicis ad praesentia; Ol. XIII, 24. ab urbis laude ad Xenophontis laudem; nec minus suave artificium Ol. VII, 87. est, ubi post fortitudinis laudem ad iustitiam modestiamque viri venturus non ita dicit: Praeterea etiam iustus est Diagoras et a superbia alienus, quae maxime iniucunda in poesi esset iunctura, sed hoc modo: Iuppiter viro pugilatu gloriam consequuto des gratiam apud cives et exteros; nam alienus est a superbia. Sic non annexus est tantum ultimus locus antecedenti, sed innexus optime. Alias duae res etiam per interpositam sententiam generalem iunguntur, veluti Ol. II, 53. a praesenti decore victoriae ad futurae vitae felicitatem transiturus sententiam de opulentia virtute ornata interponit. Atque ita saepius. Qui dicendi arte delectantur etiam ad tales exquisitos modos attendant. Haec hactenus.

Dixi generatim de tractatione directa argumenti; addam pauca ad singulorum locorum quorundam rationem pertinentia. Primum enim sunt interdum duae res commixtae in eodem loco, quas distinguere iterumque coniungere debeas, ut formam tractationis perspicias. Ac de admonitione cum laude mixta supra explicui; nunc alia afferam. Ol. II, 83 seqq. redire debet poeta ex lege carminis ad Theronem et absolvere virtutis laudem in prooemio inceptam, idque facit; sed quum simul Simonidem et Bacchylidem castigare vellet, inde duxit formam loci pulcherrimi, ut post inferarum rerum et futurae vitae tractationem laetior esset et vividior ad praesentia reditus, et vix dubito tibiis cum cantatum, quum antea citharae sedatiores soni praevaluissent. In ipsa vero laude Theronis obiter observa, quum bellum intestinum significandum esset, quam decore dixerit, invidiam loquens improborum hominum et ingratorum, ipsam vero proditionem propinquorum, quae contra naturam esset, ne verbo quidem effatus. Sed haec quidem mythice indicata sunt. Verum redeo in viam. Ol. VI, 74 seqq. revertitur, ut debet, ad victoriae laudem absolvendam;

quum autem Agesias invidia laboraret, nunc ita tractat illam laudem, ut defensionem immisceat, rebus gestis probari dicens, quales simus, deinde Iovi Mercurioque a maioribus culto, non casui aliisve rebus ab inimicis forte iactatis, deberi monens victoriam. Ibidem in fine Syracusas Ortygiamque laudare debet, ut promiserat in prooemio, idque facit per Hieronis laudem; iterum vero invidiam respiciens et inimicitias Agesiae, simul metum futurorum ostendit de duarum ancorarum utilitate loquens. — Ol. VIII. 54. Melesiam magistrum laudare vult, ut moris; sed quum etiam hic invidia laboraret, ad defensionem revocat laudem. — Pyth. I. 29. Hieronis Aetnaei victoriam curulem laudare debet, quod ita facit, ut simul Aetnae urbi salutem et florem precetur a diis. Deinde v. 46. bellicas Hieronis res celebraturus, quum aegrotaret rex, ita haec tractat, ut exhilaret eum rerum gestarum commemoratione et constantiae admoneat. Denique v. 69 seqq. de condita recens Aetnaea civitate quum dicere debeat, simul filii Dinomenis laudem immiscet, qui tum regebat urbem. Non perspexeris tractationem huius carminis, si ad hoc Pindaricum artificium non attenderis. — Pyth. IX. v. 76 seqq. laudat, ut debet, victorias Telesicratis; quum autem hic, ut in Commentario probare studui, admisisset Thebis quod magnopere displiceret, simul iram adversariorum sedare poeta studet; quare ita rem tractat, ut ad publicam Thebarum laudem victorias viri in Graecia reportatas revocet et in rebus ad urbis laudem gestis privatas querelas ab adversariis coercitas velit. — Nem. IV, 13 seqq. ad Timasarchi pueri victorias accedit, sed, quum etiam patris defuncti memoriam, ut moris, recolere vellet, suaviter utrumque iungit ita, ut patrem, qui citharam tractaverat, nunc si viveret, saepe cantaturum fuisse dicat hunc hymnum victoriis filii scriptum, quas inde enumerat. — Nem. VII. 54 seqq. Thearionis fortunam laudat, quae res quam vim habeat in Sogenis laudem, supra monui; quum autem Theario etiam obtrectatores haberet et poetam ipsum quoque male crederent quidem de Neoptolemi laude detraxisse, coniunctis Pindarus his rebus in laude Thearionis simul de obtrectatione et invidia verba facit suosque ipsius mores defendit. — Isthm. I. 40 seqq. ad Herodoti laudem absolvendam accedit, qui quum reprehensores haberet conatuum suorum, simul hos carpit. — Isthm. VII. initio victoriarum, quas Cleander reportaverit, laudem nuntiat; sed cum laetis sensibus etiam moerorem prodit ex terroribus belli Persici nuper depulsi non levem, quia non solum laudare vult Aeginetas in illo carmine, sed etiam commovere eorum

animos, ne deserant Thebas. Atque haec hactenus; non levis mihi videtur tota haec observatio ad explicationem Pindari. Res autem maxime lyrica est, quum sic peculiaris comparetur forma multis locis pro vulgari et communi, maiorque exsistat varietas tractationis. Ad ceterum orationis directae ornatum comparationes pertinent a ludicris certaminibus et ab epiniciorum ratione petitae plurimae, de quibus suis locis in Commentario dictum, nec non sententiae ethicae eximiae, quo loco etiam illud artificium praeclarum notandum, quod res praesentes ad generalis sententiae formam passim revocat; cf. ad Ol. VII. VIII. Nem. VIII. init.

II. DE FABULIS.

Sententia carminis rarissime sola directa oratione explicatur et sine fabulis, ut factum in praevio carmine Ol. X. Etiam Ol. V. et Isthm. II. non habentur fabulae, sed curavit tamen poeta, ut aliquid instar mythici ornatus adsit, qui in priore carmine pro urbe Camarina deos urbis tutelares nominet, quos ornaverit Psaumis, in altero vero canat, ut in Isthmo Neptunus, Delphis Apollo Xenocratem benigne adspexerit, laudetque aurigam Nicomachum in Victoriae gremium illapsum in sacro Iovis Olympii luco. Quae omnia specie mythica delectant. Similis generis sunt invocationes et laudes deorum plurimae in prooemiis, ut Ol. III. IV. XII. XIII. XIV. Pyth. VIII. Nem. VII. Isthm. IV. Revocantur victoriae sic ad divinam vim causamque. In plerisque autem carminibus etiam narrationes sunt fabularum sive breviores sive longiores, ut constat. Quum igitur a nullo fere carmine mythicus ornatus plane absit, patet eum quodammodo necessarium visum, nec dubium est, quin pulcherrima pars sint Epiniciorum fabulae. Explicabimus igitur nunc etiam de hoc genere data opera, quae res et difficilior est et longiorem disputationem habet, a Pindari vero accuratiore interpretatione abesse non debet. Dicemus autem primum de dignitate et usu fabularum, deinde de tractatione earum lyrica.

A. DE DIGNITATE ET USU FABULARUM.

Fabulae de diis et heroibus continent, ut constat, quidquid illustre, praeclarum, excellens populus Graecus excogitaverat; hic summa exempla fortitudinis, pietatis, iustitiae, moderationis expressa sunt, hic felicitatis rarae et favoris deorum; hic scelera impiorum dignissimis poenis coercita et felicitate eximia graves calamitates videmus compensatas; in fabulis fata aeterna gentium

et urbium conspicua; fabulae sunt divinarum et humanarum rerum pulcherrima et sanctissima imago. Quae quum ita sint, quem in finem fabulas in Pindari carminibus positas dicamus apparet: positae sunt, ut praestantiae eius, cuius laudem sententia carminis habeat, et poenarum, ubi quid reprehendendum, ideale exemplum adsit. Non opus est hodie refutare pluribus quod olim censebant, digressiones eas esse a themate proposito carminis et inopia rerum Pindarum ad mythica delapsum; tantum enim abest, ut discedat a themate poeta, ut ipsius thematis pulcherrima declaratio in fabulis insit. Error iste inde natus est, quod themata horum carminum non recte intelligebantur. Alia sententia eximie explicata a viris doctis haec est, ad publicam maxime urbis laudem fabulas propositas; civium victoriae et decora quum simul ad patriam deosque patriae tutelares pertinuerint, patriae laudem agi potissimum in his carminibus et summum eorum thema esse; huius igitur priscas fabulas excitandas fuisse, ac quum victor pars esset civitatis, sic communi laude eius laudem comprehensam. Profecto certum est et minime dubium simul etiam publica ornamenta esse praeclaras has fabulas, nec potest pulcrior laus urbium inveniri, quam quae in his Epiniciis habetur; certum etiam huic generi poesios maxime convenire tales publicas civitatis laudes; sed non sufficit tamen haec observatio ad explicationem quaestionis propositae. Primum enim complures sunt fabulae non petitae e rebus domesticis urbis, unde victor, veluti Pyth. XI. ad Thebanum civem narratio de Agamemnoniae domus infortunio, Nem. IX. ad Chromium Syracusanum narratio de Adrasti et Amphiarai rebus, Ol. I. ad Hieronem fabula de Pelope et Tantalo, Pyth. II. de Ixione, Pyth. III. de Coronide; quae omnes quum alienae sint a patria victoris nec quidquam ad eam pertineant, necesse est concedatur et revera conceditur etiam digressiones eas esse cum reliquo carmine parum nexas, atque ita ad eam ipsam rationem reducimur, quam reieceramus ut Pindaro indignam. Deinde quum etiam forma narrationis explicari debeat ubique, cur sic non aliter tractata sit fabula, cur talibus, non aliis sententiis ethicis distincta, veluti fabulae de Aeacidis alias aliter tractantur, etiam hoc multis in carminibus non expedias ex illa ratione sola. Sic Pyth. IX. fabula de Cyrena nympha etiam urbis laudem illustrari obvium, at cur sic eam tractaverit a principio ad finem Pindarus, ut pudorem et verecundiam amoris commendaret, vim et indecoros sub divo amplexus reprehenderet, nullo modo intelligas, nisi propius ad victorem haec omnia retraxeris. Ol. VII.

sane Rhodi decora tractantur, sed quid sit, quod per totam illam mythicam narrationem simul casus et errores invitos ostendat his decoribus admixtos, aegre expedias, nisi in ipso victore Diagora fuit quod insulae fato proposito excusare vellet poeta. Atque ita res habet in aliis. Quae quum ita sint, redeo ad id, quod supra posui, nunc pluribus declarandum. Vidimus, quales sint subiectae his carminibus sententiae. Iam placent quidem etiam sine ornatu per se ipsae et vere pulcrae sunt, ut intelleximus, hae propositae societates virtutum aut felicitatis et virtutis, hae compensationes rerum gestarum per coronas ludicras, per poesin, hae consolationes adversarum rerum per secundas, sed tamen ut ubique tractatio magnam vim habet, sic etiam hic augetur eximie, immo maxima evadit vis, dignitas, auctoritas sententiae, ubi simul in luce splendet plus quam humana, ubi in fabulis aureis fulget proposita et in heroico aut divino exemplo expressa habetur. In fabulis igitur ideale exemplum inest sententiae carmini subiectae, et quum prima virtus in ipsa sententia carminis sit, altera non minor in fabulis est, quibus ea declaratur. Petuntur autem hae fabulae plerumque e domesticis rebus urbis aut gentis, cuius est victor; in aliis carminibus e ludorum locis sunt, ut Ol. I. III. XI. Pyth. XI. Nem. IX., denique pauca etiam talia leguntur, ut narrata de Ixione, Cinyra et Rhadamantho Pyth. II., de Coronide Pyth. III., de Aloidis et Tityo Pyth. IV., quorum nullus est praeter similitudinem nexus cum victoris rebus. Cuius instituti quae causa sit, non obscurum. Sive poenas proponas pravitatis, sive virtutis depingas praestantiam, semper quidem et ubique in mythica rei imagine singularis vis inest, etiamsi alius nullus historicus nexus adsit, tamen ubi simul domestica fabula canitur aut e victoriae loco petita, tum vero quam fieri potest proxime tangitur victor. Gravis Ixionis fabula Pyth. II., sed gravior, immo gravissima Typhonis poena in ipsa Sicilia ante oculos Hieronis Pyth. I. Quanquam malefactorum et poenarum exempla ex heroum domesticis fabulis non amat petere, quum res non honorifica sit patriae, neque exemplum huiusmodi video praeter illud de Phoci caede a fratribus commissa, caute et breviter tractatum Nem. V.; vulgo talia peregrino e solo petuntur suavius. In ceteris vero rebus maxime domestica praeferuntur gentium et urbium, ut dixi. In domesticis enim heroum fabulis indoles et fortuna gentium et civitatis, genius urbis et civium creditur conspicuus; in his igitur fontem et fundamentum praestantiae suae et fortunae victor videt expressum; in his imago idealis cuiusque

victoris inest maxime sua. Proxima sunt e ludorum locis quae petita. Quo enim loco certavit victor et coronam reportavit, huius heroes ab eo minime alieni; imitatus est virtutes et laudes eorum certando et movetur gravius tristibus eorum casibus, si quid errarunt olim et peccarunt sibi nunc cavendum; quare tantum abest, ut displiceat in Pindaro hoc genus fabularum quasi longius petitum, ut praeclaram vim habeat et laudari debeat magnopere. Denique etiam tertium genus, nullis huiusmodi commodis adiutum, quis non sentit legens quantum tamen vel sic valeat sola mythica gravitate sua. Commune sunt speculum fabulae omnium, et fieri non potest, quin commovearis penitus, ubi simillimam videas rerum tuarum imaginem e mythicis traditionibus suscitatam. Atque ita convenit etiam poesios sublimioris, qualis haec chorica Doriensium est, rationi et ingenio, quae maxima quaeque tractare nec quidquam fabularum a se alienum putare debet, quibus magnificentia sententiarum, quas ponit, declarari possit. Sed de choricae poesios gravitate iam ab aliis dictum est. Denique totum mythicum dicendi genus etiam non monitus vides simul illud commodum habere, quod et laus iucundior est indirecta quam directa, et reprehensio, et potuerunt etiam politicae res graviores sic tractari decore et digne. Mythica aetas transierat, sed reliquerat sequentibus temporibus pulcherrimum thesaurum, quo uterentur qui scirent ad optima quaeque. Atque hoc tum eximie callebant lyrici poetae imprimisque Pindarus, qui incredibili acumine praesentibus rebus fabulas accommodat, quemadmodum ad singula carmina docui. Tenebat quam dicit λόγων κορυφάν, deprehendens ubique facillime, quid inesset in fabulis aut elici posset suaviter. Verum haec hactenus; iuvat nunc exemplis aliquot quae de usu fabularum dixi illustrare. Pyth. X. cum laude felicitatis coniuncta pietatis et modestiae admonitio est, quod directis verbis declaratur a principio ad v. 29. Tum eiusdem rei ideale exemplum exhibetur per fabulam de Hyperboreis, in quo mythico populo pietatis et felicitatis perfecta societas conspicitur. Simul propius cum originibus familiae victricis fabula nexa est per Perseum, gentilicium eius heroem, ut videtur, qui delatus ad Hyperboreos vidisse dicitur quae poeta narrat. Sic augetur admonitionis vis. — Ol. II. coniunctio adversarum et secundarum rerum in Theronis vita conspicua si directa tantum oratione tractata esset, philosophum potius egisset Pindarus quam poetam; nunc mythica proponuntur et proponitur Cadmidarum antiquum fatum, unde descendit Thero, quo facto revocatis The-

ronis rebus ad altiorem normam suam et imaginem, carmen exstitit quo nihil sublimius. — Nem. VII. virtus genuina ostenditur indelebili laudis et honoris praemio a diis decorata, quae res Aiacis et Neoptolemi, maximorum heroum domesticorum, fabulis in pulcherrima luce ponitur. Civium fortuna in heroum domesticorum fortuna inest illustriore. — Ol. XI. sententia est rebus gestis epinicia deberi et κῶμον, et dicitur perspicue et de victoria Agesidami et de carminum laude. Similiter in mythica narratione duo ponuntur: narrat poeta primum Herculis bellum adversus Cteatum et Eurytum, Augiae socios, ipsumque Augiam, deinde victoriae causa instituta Olympia cum certaminibus et κώμῳ, ut, quemadmodum prima Olympia Herculis καλλινίκου epinicia fuissent post res feliciter gestas, sic in posterum certamina ludicra et κῶμος sacro ritu per omnia tempora haberentur coniuncta. Qua inventione quid felicius? Suavis et poetica sententia per se de laude poesios rebus gestis debita; nunc autem non sola abstracta cogitatione sentis, sed vides quasi conspicuum ante oculos Olympiorum sacro ritu sancitam et observatam inde ab Hercule praeclaram hanc rerum gestarum et κώμου coniunctionem. Quae quum ita sint, luculenter apparet, quantum a vera mente Pindari aberraverint qui, non sentientes, cur victoriae et epinicia victoriarum hic coniungantur, frustra quaerunt, quid facinora bellica Herculis narrata sibi velint, quid ludi Olympici, nec nisi digressionem inopia rerum factam viderunt ubi pulcherrima thematis explicatio habetur.

Diximus generatim de dignitate et usu fabularum quantum satis; restat, ut varietates explicemus, quae in usu fabularum inveniuntur, omnes, ne quid hic, quantum quidem in nobis sit, obscuritatis remaneat. Igitur primum quidem interdum plures fabulae ponuntur ad unam rem ornatissime et ab omni parte declarandam. Isthm. V. Lamponis filiorum et maxime Phylacidae iunioris ἀνδρίαν laudat et ex reportatis victoriis auguratur futuram Olympicam. In quo primum immensam Aeacidarum gloriam ostendit ad Hyperboreos et Aethiopes usque propagatam, tum Telamonis res gestas narrat, et ut filius Telamoni promissus fuerit magnifico augurio Aiax. Quae res sic intelligenda, ut maximum habeatur quod de gloria Aeacidarum immensa praemisit, huic autem subiecta sequentia. Similes, ait, Aiaci Telamoni dato Lamponis filii sunt propitio et ipsi numine dati rebusque gestis excellunt ut Aiax et Telamo, ut maximam gloriam augurari liceat Olympica victoria reportandam. — Ol. IX. Epharmosti Opuntii canitur ἀν-

δρία singularis. Haec in mythica parte revocatur ad Laorum robur, a quibus descendebat Epharmostus, et ad Patrocli Opuntii similitudinem, h. e. uno verbo ad mythicam Locrorum praestantiam. Sed non contentus his poeta etiam Herculis divinitus insitam vim monstrat. Quae res iterum intelligenda sic est, ut alterum alteri subiectum habeatur; nam quum divinum Herculis robur manifesto summum exemplum Epharmosti sit, comprobatur haec laus in sequentibus origine Locrensi viri, apud quos viguerit roboris vis illustrior. Revera igitur omnia ad Epharmostum pertinent, cuius laus primus harum rerum finis; tamen etiam non monitus sentis, quam pulcre Pindarus eadem inventione simul urbem ornaverit, in cuius aliquo publico loco necesse est cantatum sit carmen. Nimirum haec est praeclara ars poetae Thebani, quod tenens ubique finem primarium, unde unitas carminis cuiusque pendet, simul tamen etiam cetera omnia praestat optime, quae tempus locusque postulabant. Similis ratio Nem. III., ubi quum Aristoclides Aegineta per tres vitae aetates victoriis excelluisset, Aeacidarum fabulis eadem exhibetur per tres aetates vigens virtus, ut fundamenta praestantiae videamus in victore conspicuae eiusque maxime propriam idealem imaginem. Talis autem quum sit Aristoclides, Herculis columnas attigit et Herculis adeo gloriam in mentem nobis revocat, qui extremos fines navigationis invenit. Denique hoc loco memorandum Nem. IV., ubi Timasarchi virtuti lenimen praemiumque laborum et nunc carmine parat et in posterum auguratur aliud maius. Ac primum Telamonis res cum Hercule gestae comparantur, qui non sine clade prostraverunt Gigantem, ut Timasarchus attritis membris vicit; in fine autem Pelei fortuna, qui post res egregie gestas etiam coniugium pulcherrimum tulit Thetidem, ut Timasarchus, quemadmodum nunc hymni laudem post recentis pugnae labores habeat recreatricem, pulcherrima continuatione sententiae alio tempore post alia facta uti Peleus amoris et coniugii gaudia dicatur habiturus. Denique quum fundamentum horum omnium insita et innata ab origine virtus sit, media inter praesentem et futuram laudem gentis illustrior ponitur imago, Aeacidarum gentis comparatione expressa, ceterum etiam pompae apta, in qua canitur carmen. Vides ab omni parte perfectam unitatem rerum ingenioso acumine poetae inventam, qualia non perficias *διδακταῖς ἀρεταῖς*. — Sed pergo ad aliud carminum genus, ubi pluribus quae insunt fabulis duo opposita *παραδείγματα* exhibentur, alterum *ἀρετῆς*, alterum *κακίας*. Pyth. I. primum videmus in Olympo Iovis maiestatem et ferociam Mar-

tis relaxatam et mansuefactam cantu Musarum et Apollinis, ut maiestatis regiae ac bellicae irae cum mitioribus sensibus coniunctae idealis habeatur imago; tum opponitur Typhonis indomita feritas non tacti musicorum sonorum dulcedine et miti sensu, quum etiam Hiero ad crudelitatem inclinaret. Propter eundem Hieronem Ol. I. felicitatem a superbia alienam Pelopis regio exemplo proponit a Neptuno insigniter amati, superbiae vero in summa felicitate et favore deorum non procul habitae poenas in Tantalo. Inest iterum in utroque exemplo opposito singulatim tota sententia carminis. Similis ratio Pyth. II., ubi tum Ixionis exemplum exhibetur, qui apud ipsos deos in Olympo felicissime vivens, quum ferre fortunam non posset et ingratus fieret, nunc gravissimis poenis afficitur, tum Cinyrae, qui fortunam regiam maximam a diis concessam cum iustitia et bonitate coniunctam habuit, et Rhadamanthi, cuius sapientia quum nusquam decipi se passa sit fraudibus et blanditiis malorum hominum, qualibus tum Hiero circumveniebatur, ipse beatissima vita fruitur in Elysio. Atque haec quidem exempla breviter tractata, Ixionis fabula pluribus verbis, quum imprimis dehortari et deterrere regem vellet a pravis quae agebat consiliis. Accedimus ad carmen Pyth. IV. Ibi Iasonis videmus praeclarum exemplum, qui cum robore et fortitudine insigni moderationem summam ostendit in summo iure, quae est suavis illa virtutum duarum cardinalium societas supra explicata, et Iasonis quidem persona nihil in hoc genere pulcrius apud Pindarum exstat. Iam statura quidem heroica et robore etiam Arcesilaus erat insignis, sed idem quum ingenio maxime dissimilis Iasoni iracundus, saevus in seditione civium severius egisset, poeta praeter Iasonis exemplum etiam opposita παραδεί-γματα ostendit Otum et Ephialten Aloidas et Tityum, qui ipsi etiam robore et magnitudine corporis conspicui audaciam nimiam et confidentiam virium morte luunt ex merito. Porro huius loci est Pyth. XI., ubi Thrasydaei eiusque familiae ludicrae victoriae laudantur, commendatur vero moderatio ac dissuadetur tyrannidis affectatio. Utrumque mythico exemplo illustrat. Quemadmodum enim Iolaus et Castores virtutem ludicram insignem ab iniustitia violentiaque intactam habuerunt famaque optima florent, sic tyrannidis infausta ratio Agamemnoniae domus infortunio docetur, ubi intus scelera ex sceleribus oriuntur, extra vero invidia grassatur et maledicentia civium. Accedo ad carmina Nem. V. et IX., ubi non ex diversorum, sed ex eorundem heroum varia fortuna duplex παράδειγμα elicitur. Ac Nem. V. in principio ad

fortitudinem Lamponis filiorum duorum illustrandam Aeaci tres filii magnifici Peleus, Telamo, Phocus laudantur, tum, quoniam ad fortitudinem etiam alia virtus accedere debet, primum ne aemulatio mala et inimicitia inter fratres exsistat, Phoci deplorabilis caedes ostenditur a fratribus commissa, deinde σωφροσύνης cum fortitudine coniunctae praestantia eiusdem Pelei posteriore fortuna declaratur, Thetidem uxorem adepti post Hippolytae contemptas insidias. Patebit etiam sic recte a me carminis illius rationem in Commentario explicatam. Simplicius etiam Nem. IX. est, ubi in Adrasti rebus duplex παράδειγμα proponitur. Floruit hic Sicyone et postea etiam Argis, quamdiu moderatus erat; sed quum maiora tentans contra Thebas proficisceretur, infaustum vidit expeditionis exitum. Postremo alia ratio est Nem. VIII. Etiam ibi duplex παράδειγμα oppositum est, sed alterum virtutis communi amore vicinorum honoratae, in Aeaci laude expressum, alterum invidia laborantis virtutis, Aiacis fabula declaratum. Atque haec quidem de his. — Pergo ad aliud discrimen. In exemplis hucusque allatis omnibus sententia carminis tota expressa habetur mythice, eaque usitatissima ratio est: sunt vero etiam carmina, licet pauca, ubi quum composita habeatur sententia, fabulis tamen una tantum pars illustratur, quum aut necessarium aut aptum non esset et commodum alterum. Sic Ol. III. corona ludicra Theronis praemium dicitur pietatis, illustratur autem sola corona mythica de oleastro narratione, pietas praemio ornata non exhibetur mythice. Nem. III. cum fortitudine robustiorum annorum sapientia senilis laudatur, sed ornatur fortitudo tantum mythica laude. Nem. VI. in Bassidarum gente ostenditur virtutis et imbecillitatis humanae mirifica coniunctio, sed sola virtus, ut par erat, mythice illustratur verbis de Achille. Similiter Pyth. XII. ars Midae fabula de Gorgonibus explicatur, admonitio modestiae directa oratione fit. Denique Isthm. VI. mythica tractatione canuntur decora Thebarum, calamitas directa oratione. Igitur in his carminibus unitas sententiae summa non conspicitur fabulis expressa, sed pars tantum sententiae: non desiderabis hoc in sequentibus exemplis, ubi quum altera pars sententiae mythice, altera directa oratione explicetur, praeterea utrumque alia fabula comprehenditur et ad unum maius exemplum revocatur. Sic factum Pyth. IX. In prima parte castitas et pudicitia amoris fabula egregia de Cyrena illustratur, quum Telesicrates victor nuper iuvenili fervore abreptus, ut videtur, ab ea virtute descivisset; deinde fortitudo cursoris eximia laudatur partim mythice

partim enarratis victoriis eius; postremo praeclara inventione coniungitur utrumque proposito Alexidami exemplo, unius e maioribus Telesicratis, qui cursor eximius fuit. idemque honesto modo coniugium faustissimum cursu consequutus est. Pyth. III. quum Hiero duo mala haberet uno cum bono, mala partim mythice tractavit, valetudinem quidem imbecillam, ut poterat, Chironis aliquem divinum discipulum optans ut adducere posset, filiae autem mortem Coronidis pulcra fabula, quum haec res rectius significari deberet; bonum contra, quod habebat rex, fortunam regiam ludicris coronis ornatam, directa oratione laudavit; postremo utrumque genus, bina mala dico uno cum bono, in Pelei et Cadmi rebus proponit coniunctum, tanquam summo exemplo. Addo carmen Nem. X. Ibi Theaei laudatur robur et fortitudo ludicra directa oratione; idem quum etiam amoris fraterni documenta insignia dedisse videatur, in altera parte carminis Tyndaridarum nobile par proponitur, quorum alter vivere non vult sine altero. Denique prooemium Argorum decora mythica celebrans, ubi cum fortitudine prudentia et iustitia floruit, eum finem habet, ut tota praestantia Theaei ad summum fontem suum revocetur. Alia forma eiusdem rei est Ol. VI. Sunt in Agesia virtutes duae, fortitudo et vaticinandi sollertia, ac fortitudo directa oratione laudatur, vaticinandi ars mythica de Iamidarum origine narratione, utrumque autem coniunctum exhibetur in Amphiarai exemplo. Sed habet Agesias praeter virtutes etiam ὄλβον, ut ampliore vinculo opus sit omnia complectente, atque hoc praeclara inventione poetae nunc in nomine Iamidarum inest, quod perennem florem significat. Restat, ut de carminibus Ol. XIII. Pyth. VIII. Isthm. IV. dicam ob similem causam. Ac Corinthiac quidem civitatis duae virtutes primariae, fortitudo et ingenii sollertia ac prudentia, quum et historico tempore praesentique aetate habeantur et olim fuerint mythicis saeculis, alterum directa oratione, alterum fabulis allatis ostenditur sic, ut prudentia in Sisypho et Medea, fortitudo in Troianis rebus Corinthiorum conspicua dicatur, tum coniuncta inventionis et fortitudinis laus in Bellerophontis fabula exhibeatur, quae simul faturis equestribus conatibus Xenophontis accommodata est. Denique omnia haec praeterita, praesentia, futura decora in principio carminis derivantur ab Horis, tanquam communi fonte suo. Eiusdem formae sunt carmina Pyth. VIII. et Isthm. IV. In utroque quum bellica et ludicra virtus Aeginae canatur, quae et mythico tempore Aeacidarum fuerit et hodie vigeat in civibus, in altero

ad Hesychiam, in altero ad Thiam haec pacis et belli pulcra oppositio revocatur, tanquam ad summam causam suam. In his exemplis igitur in deorum summo numine unitas rerum inest, quas carmina tractant. — Postremo de paucis carminibus dicendum, in quibus fabularum locum alia obtinent proprie non mythica, sed quae arte poetae tamen in mythicam formam redacta. Pyth. V. laudatur, ut supra vidimus, in Arcesilao ὄλβος cum virtutibus coniunctus. In medio carmine proponitur eiusdem societatis maior imago in Batto auctore gentis, qui et pius fuit maxime et fortunam prosperrimam habuit. Battus non vixit mythico tempore, sed tamen et heroicis honoribus post mortem colebatur ut conditor urbis, atque etiam vivus eximio favore Apollinis supra vulgarem hominum modum a poeta significatur elatus, qui, ut heroum maxima vox est, sola voce sua leones e Cyrenaica fugaverit. Porro Ol. VIII. effero, ubi in Alcimedonte pietas et fortitudo coniuncta exhibetur. In medio carmine iustitia Aeginae directa oratione laudatur et Aeacidarum fortitudo mythice. Composuit igitur nunc ideale exemplum sic, ut pro mythica persona, in qua utrumque genus virtutis inesset, civitatis personam poneret, singulis civibus maiorem. Iam fortitudo quidem insulae Aeacidarum fabulis declarata est, ut saepe, iustitiam quum directa oratione laudaret, mythicum habitum scite addidit sic, ut ab ipso deorum numine eam repeteret, τεθμὸς δέ τις ἀθανάτων καὶ τάνδ' ἁλιερκέα χώραν παντοδαποῖσιν ὑπέστασε ξένοις κίονα δαιμονίαν. Quae recte sic a me intelligi docet aliud exemplum. Nem. I. triplex Chromii laus in maiori Siciliae exemplo coniuncta proponitur, ut autem simul mythica forma adsit, haec decora insulae ab ipso summo Iove profecta tradit. Sic igitur talia quoque arte poetae sunt mythica facta, quod tenendum etiam propterea est, ne aliam horum carminum rationem credas. Ac de usu fabularum satis dictum.

B. DE TRACTATIONE FABULARUM.

Qui semel de fabulis apud Pindarum disputare coepit, non satisfecerit provinciae susceptae, nisi etiam de tractatione earum dixerit; quum enim inter omnes constet aliam esse epicam, aliam lyricam narrandi rationem, iure quaeras, quomodo Pindari ars in ea re versata sit, et quid ad explicationem eius inde duci possit. Quam quidem ego disputationem ita dividam, ut primum de unitatibus fabularum dicam a Pindaro positis, deinde de delectu et

ornatu rerum lyrico, denique de praeparatione varia rerum ad movendam et tenendam exspectationem.

Quid significent fabulae, rarissime effatur Pindarus, sed relinquit lectori explorandum; tamen titulus esse debet, qui praefigatur narrationi, unde initium ducat et quo contineatur, atque has dico **unitates fabularum**, de quibus ante cetera explicandum. Igitur primum quidem Pindarus transitum ubique commodum parare solet ad mythica, ut non ex abrupto, sed certa ratione ad ea venire videatur, sive per continuationem et amplificationem laudis coeptae aliusve rei sive per oppositionem viam sibi muniens, nec usquam hoc artificium abest, nisi quod in principiis carminum locum habere non potest, ubi alloquutio legitima. **Ipsius autem fabulae in fronte aut generatim annuntiatur, quid agatur, aut**, definitior qui est modus, **sententia vel factum ponitur, quo tota narratio revocari et cuius explicatio videri possit; in fine aut reditur ad hoc principium aut alius aptus exitus paratur.** Ac nuntiatio quidem illa simplicissima non saepe usurpatur, veluti Nem. IV, 45. Cypri et Aeginae dulce carmen promittens nuntiat Aeacidarum laudes, similiterque Isthm. IV, 20. V, 19.; Isthm. I, 16. autem Castoreum promittens sic nuntiat mythica. Ol. VI, 26. origines Iamidarum se laudaturum dixit, Nem. IX, 10. Adrasti laudes promittit. Sed frequentior altera ratio, ubi definitum thema ponitur. Atque ubi sententia est in principio, raro ea in fine redit, factum autem quum tale esse soleat, in quo exitus fabulae insit, repetitur ubique, aliis puta verbis, in fine. Videnda nunc etiam huius rei exempla sunt, post quem recensum in fine etiam plures fabulas docebo quomodo uno titulo complecti sciat Pindarus. Ol. I, 18 seqq. laudans victoriam Hieronis, per amplificationem laudis e loco certaminis petendam Lydi Pelopis coloniam Pisam et Olympiam dicit, v. 24. Atque hunc nunc titulum dico narrationi, quam parat, praefixum, hanc unitatem eius. Posito enim illo memorabili facto, fieri non potest, quin scire cupias, quomodo Lydus Olympiam occupaverit Pelops. Iam quae sequuntur pro explicatione sunt. Est acta res ope Neptuni, qui inde a partu amavit Pelopem et postea currum celerrimum dedit, ac continuatur narratio intextis scite etiam Tantali rebus, usque dum Hippodamia parta regem harum regionum videamus Pelopem ibique etiam sepultum et heroicis honoribus cultum. Sic absolutus est orbis propositus. Obiter addo, quum victoriam Hieronis e loci nobilitate illustrare vellet,

post narrationem fabulae etiam hoc ab eo absolvi, partam in Pelopiis curriculis gloriam qui longe splendere dicat, unde vides recte a me illum locum sic explicatum, ut feci. Haec hactenus. Ol. III, 11 seqq. laudans coronam Olympicam, per amplificationem laudis oleastrum ex Hyperboreis ab Hercule allatum dicit, atque huc omnia revocat; hoc enim factum ut explicetur, causam et rationem itineris narrat, donec in fine ad arbores redeat, quas trans Boream spectaverit Hercules et admiratus sit. — Ol. VIII, 30. minus quidem clara ratio est, sed tamen non probabile est legem constanter per totum Pindarum observatam et per se necessariam hoc solo loco neglectam esse. Laudans Aeginam per amplificationem laudis ab illustri Dorico populo eam inde ab Aeaco gubernatam contendit. Huius igitur sententiae probatio debet sequens fabula esse, si sibi constat. Quomodo vero quod volumus inerit in narratione de oraculo Aeaco post conditos Troiae muros dato, bis urbem eversum iri a filiis eius Aeacidis? Scilicet quum in bello Persico palmam Aeginetae et Spartani, h. e. Dorienses, tulissent, res Troianae vero apud Pindarum saepe cum Persicis componantur, quasi omnia unius belli contra barbaros gesti sint facinora, vulgaris quae tum fuisse videtur opinio, potuit eo alludens ingeniose dicere sic: Esse enim profecto eundem Doricum populum, non alium, cui iam olim data sit a diis barbarorum debellatio. Atque ita censeam; adde Commentarium, ubi etiam propter Hellenum nomen speciose ita dici potuisse observavi. Ceterum in fine non redit ad sententiam initialem, nam hoc raro fit in sententiis, ut dixi, sed alium exitum imponit, reducens Aeacum ex Troia. — Ol. XI, 24. post urbis et victoris laudem tertium Olympia se dicit celebraturum ab Hercule instituta. Iamque quasi ab origine hoc factum explicaturus primum bellum Herculis adversus Molionidas et Augiam narrat, tum ad Olympia ipsa, huius victoriae epinicia, redit, ut condita sint. Revocata igitur omnia ad unam Olympiorum institutionem, ut unitatis specie placeat locus, quum revera victorias pariter ac victoriarum epinicia laudet et laudare velit. — Ol. XIII. Corinthi laus summus finis. Tamen suaviter a rebus privatis v. 49. per oppositionem ad mythica transiens tanquam publicam laudem fortitudinem et prudentiam priscorum probare vult. Hoc titulo adiungitur etiam Bellerophontis fabula, in cuius fine, ut moris in sententiis, non redit ad id, quod initio affirmaverat, de duabus Corinthiorum virtutibus, sed mortem Bellerophontis significans et Pegasi in coelum adscensum, ita exitum imponit fabulae. —

Pyth. II, 21. post Cinyrae et Ixionis laudem per oppositionem ad Ixionis poenam transit, ex quo facto in fronte narrationis posito initium ducens deinde scelera viri indicat, postremo ad poenas redit oratione in orbem versa. — Pyth. III, 7. per Chironis laudem ad Aesculapii artem medicam delatus, propter Aesculapium et quasi per continuationem argumenti primum Coronidis matris interitum memorat, v. 9 seqq., quo titulo usus culpam virginis explicat, tum ad eius interitum redit. Explicuit quod hic explicare volebat, ut perierit Coronis. Postremo Aesculapii coeptam historiam absolvit. Ac quum initio v. 6. medica ars eius praemonstrata esset, haec nunc plane illustratur usque ad v. 53. Cetera, quae addita, propter sequentia dicta sunt. Vides locum de Coronide insertum fabulae de Aesculapio, utramque vero narrationem ad suam sibi propriam unitatem revocatam. — Pyth. IV. initio maius carmen parat ob duplex beneficium Apollinis, coronam Arcesilao et oraculum Batto auctori datum. His positis quae sequuntur pro explicatione sunt, donec v. 59 seqq. confecto orbe ad oraculum coronamque redeat, totum de felicitate regis locum claudens. Inde vero Argonautarum expeditionem narrandam dicit, quia gens Arcesilai regia in ea orta sit, v. 69. Sic ad hoc factum tota sequens narratio revocatur, quasi omnia, quae iam narrantur, nonnisi ad explicandas origines Euphemidarum narrentur. Ac revera in fine v. 255 seqq. ad initium redit omnibus patefactis. — Pyth. V, 51. per oppositionem a laboribus ad Batti felicitatem transit, munimentum urbis. Haec res ut explicetur, subiiciuntur sequentia, in fine v. 98. ad felicitatis laudem redit; licet igitur revera duo contineat locus, pietatis cum felicitate laudem, revocatur tamen ad unam felicitatis pietate nixae notionem. — Pyth. VI. pietatis praestantiam illustraturus Archilochi exemplum commemorat, in qua narratione, recte orsus a morte viri, etiam in fine redit ad eam. — Pyth. VIII, 39. per amplificationem laudis dictum de Alcmaeone comparans, sic cetera narrat, in fine non redit ad initium, quum sententia sit quae probatur, sed alia laude Alcmaeonis mythica absolvit. — Pyth. IX. initio laudans Telesicratem decus Cyrenarum sic quasi per amplificationem ad Cyrenam nympham transit, quam ab Apolline in Libyam translatam ibique nuptiis legitimis cum deo iunctam dicit. Hoc posito facto thema narrationis posuit; iam enim totam fabulam ab origine repetit et in fine v. 68 seqq. ad initium redit, ut probata re. In eodem carmine v. 105. quasi per continuationem laudis ad maiores Telesicratis deducta ora-

tione narrare se velle dicit, ut aliquando de virgine Libyca certamen institutum sit, atque huc revocatur sequens narratio. — Pyth. X, 31. per oppositionem ad Hyperboreos quum venisset a Perseo orditur eos qui viserit, ad idem factum in fine redit v. 45. firmans etiam fidem itineris. — Pyth. XI, 16. laudans coronam Thrasydaei in Cirrhaeo campo partam quasi per amplificationem laudis ad Orestem celeberrimum olim in his regionibus degentem transit, a quo facto, ut themate, initio ducto, quasi explicaturus, quomodo Orestes huc venerit, sic narrat omnia, quibus opus, et in fine etiam redit ad Orestis nomen, v. 35. — Pyth. XII. 6. per amplificationem laudis tibiam a Minerva inventam dicit, quod factum explicaturus Medusae caedem narrat, postremo ad inventionem tibiae redit. — Nem. I, 38. per amplificationem laudis ut exemplum magnae virtutis ponitur Herculis fabula. Sententia, ut moris, non repetitur in fine; sed ibi pulcrius de requie post labores in Olympo dicitur. — Nem. V, 22. per oppositionem ad nuptias Pelei transit, quae cur contigerint explicaturus de castitate herois dicit, postremo v. 36. ad initium redit. Revocatur igitur locus ad praemia castitatis declaranda. — Nem. VII, 20. per oppositionem ad Ulyssem transit immerito ab Homero laudatum, hinc ad Aiacem et Neoptolemum praeclaro honore Delphis ab Apolline distinctos, sic laudes et fata Neoptolemi exponit, in fine autem ad honores redit Delphis ei constitutos. — Nem. VIII, 20. per continuationem antecedentium sententiam ponit de invidia optima quaeque invadente; hinc nectitur narratio de Aiace, postremo hic quidem magna cum vi ad sententiam initii redit, v. 34. — Nem. X. dicens de gente victoris ad Castores fautores quum deduxisset orationem per continuationem laudis, orditur v. 55. ab eo facto, quod coniunctim alternis diebus in Olympo et sub terra vivunt, atque huc etiam in fine redit, postquam per fabulam interpositam causas rei declaravit. — Atque haec quidem hactenus. Consulto omnia exempla perlustravi, ut legem demonstrarem a poeta observatam, nec quidquam nunc restat, quam ut ea quoque carmina consideremus, quae pauca sunt, ubi plures fabulae sunt coniunctae. Ita autem in talibus versatur Pindarus, ut et singula bene nectat et communi vinculo omnia complectatur. Ol. II. sententia de consolatione aerumnarum ex adversis rebus per secundas est quae continet omnia. Ac post locum de Cadmi filiabus nova sententia praeparat secundum de Oedipi filiis, denique v. 53. tertium de vita post mortem. — Isthm. VII, 25. Aeacidarum laudem duplicem dicens,

fortitudinis et sapientiae moderationisque, hinc nectit sequentes duas fabulas, quarum in prima denuo praeparat secundam. Sed his fabulis alia praecedunt de Aeaco et Aegina, unde descendunt Aeacidae; quare totum locum mythicum sic orditur, ut Thebanum poetam Aeginae prae aliis laudem poesios tribuere debere dicat. Quo suaviter alludens in fine etiam olim Boeotias Musas Achillem in funere adeo cecinisse narrat. — Nem. IV, 9 seqq. fabulas, quas narrare vult, Aeacidarum ad Iovis laudem revocat. Canit autem plura, primum de Telamone, deinde post interpositam defensionem de ceteris Aeacidis alio modo. In fine non posse se omnia persequi dicens, sic abrumpit mythica, quae imperfectior clausula est, sed non offerebatur alia commodior. Eadem formula etiam Isthm. V, 56. claudit locum de Aeacidarum laudibus. — Ol. VII. tres sunt fabulae. Ac primum origines familiae a Tlepolemo explicare vult; sic ponit fabulam de hoc. Sed ante finem v. 34. memorata aurea pluvia fundamenta iacit sequentis fabulae de Heliadarum errore et arte. Quorum ut si origines explicare velit, tertiam subiicit narrationem de Sole Rhodi deo. Sic igitur nexae sunt fabulae. Denique ut tota compages habeat quo contineatur, ante fabulas v. 14. pulcre nuntiat se venisse cum laude Rhodi, Veneris filiae et Solis uxoris, ad quam ipsam rem in fine tertiae fabulae rediens, ubi Rhodum Soli septem filios peperisse narrat, satis declarat ad hanc unitatem se omnia revocare. — Ol. IX, 41. Protogeniae urbem laudare se velle dicit, ex quo facto nectitur sequens fabula. Nam quasi ut explicetur, quomodo Protogeniae urbs fuerit Opus, subiicitur narratio de origine regum Opuntiorum, quae in fine etiam redit ad Protogeniam, Opuntis filiam, ut nunc videmus, Locri regis factam uxorem et reginam urbis. Atque ita patet, quomodo Opus Protogeniae urbs sit. Deinde alia fabula per continuationem narrationis antecedenti adiungitur sic, ut, quum Locrus Opunti filio urbem populumque gubernandum tradidisse dicatur, hic populus qualis fuerit explicetur per sequentia. Ut vero etiam commune vinculum adsit omnia complectens, ante fabulas in priore parte carminis Opuntem urbem nuntiat se laudaturum atque etiam orditur iam ibi laudem. Sed nunc ad aliud artificium attende. Volebat praeter Locrenses fabulas etiam de Hercule dicere; quodsi post has fabulas demum ad Herculem venisset, assutum haberemus locum et male annexum. Quid igitur facit? Accingens se v. 21 seqq. ad maiorem laudem urbis, mox quasi per aberrationem ad Her-

culem delatus, hinc magnificentius ad urbis ornamenta mythica redit, suavissimum per ambitum. Praemisit igitur (er hat vorgeschlagen) locum de Hercule, qui in fine male positus fuisset, per aberrationis simulationem, quod maxime lyricum artificium est. Eadem habetur res Nem. III. Ibi v. 32 seqq. primum de Peleo et Telamone dicit, deinde de Achille, utrumque locum autem interposita sententia iungit v. 40. Sed ne titulus desideretur omnia complectens, initio carminis v. 10. Iovis laudem parat Nemeorum praesidis et Myrmidonum dei patrii, et post fabulas v. 65. etiam redit ad Iovem, huius honori consecrans totum locum. Denique etiam hic orsus Iovis laudem mox delabitur ad Herculem, a qua aberratione se revocans, sic demum ad Aeacidarum res gestas pergit. Vides magnificam artem poetae, etiam maiorem rerum copiam pulcherrime unum in orbem colligentis. Verum haec hactenus; perlustravimus omnia carmina. Est igitur plane demonstratum Pindarum, postquam per transitus aptos ad mythica accesserit, haec constanter ad unam rationem revocare sic, ut in principio ponat quod pro themate haberi possit et complectatur cetera; in fine vero aut redit ad principium aut alium aptum exitum imponit. Quales vero sunt hi tituli? Magnopere erraveris, si hoc iis ubique inesse credas, ut interior sensus fabularum indicetur. Quanquam saepe ita iudicatum est. Sane Pyth. IV. initio Apollinis favori et regnum et coronam ludicram Arcesilai deberi dicens ponit in quo summus finis narrationis illius inest; sentire enim et intelligere vult regem a deorum numine et voluntate haec decora profecta esse. Sed statim in altera parte carminis Argonautarum expeditionem significans, quod Euphemidae tum orti sint, se narraturum, non indicat primum finem fabulae, qui in Iasonis imagine proponenda versatur. Atque ut aliud afferam, Ol. I. eo fabulas revocatas vidimus, quod Pelopis colonia Olympia fuerit, Pelops ibi certaverit, regnaverit, huius ludi sint: at summum tamen consilium poetae aliud fuit hoc, ut exemplum felicissimi herois exhiberetur a Neptuno insigniter amati et a superbia alieni, una cum Tantali contraria sorte. Ne multa; vides, quid res sit. Totum artificium institutum est a poeta eum in finem, ut species unitatis ne desit pulcris his narrationibus, interior autem ratio plerumque alia est. Ubi enim praeter summum finem in fundamento carminis cuiusque positum etiam alium habent, inde fere petuntur formulae, veluti Ol. I. ut victoria e nobilitate loci illustretur, secundus fabularum finis est, aut

Ol. IX. urbis Opuntis honos, ubi primus et summus Epharmosti laus; ac quum Nem. III. etiam Iovi honorando fabulae inserviant ut totum carmen, proprior tamen finis est hic, ut Aristoclidae virtus declaretur. Sic etiam illud intelligas, quo iure saepe dixerim duas res pariter in fabula aliqua inesse, ubi titulus nonnisi unum exhibet, veluti Nem. V., quum castitatem Pelei et nuptias laudare vellet, h. e. virtutem praemiis eximiis ornatam, tamen omnia ad nuptiarum rationem revocantur, ut Pyth. V. ad felicitatem Batti, ubi societatem pietatis et felicitatis praedicare vult. Nimirum ut unitas adsit, ubique ad unum finem revocare debet quae plures fines habent. Quae quidem omnia quum saepe non animadverterentur et distinguerentur a lectoribus Pindari, a multarum fabularum vero sensu aberratum est, ac quum etiam post narratas fabulas, ubi ad directas laudes redire vult, varias causas praetexat, aberrasse se fingens, ubi peregrinos aut peregre profectos heroes cecinit, et quae sunt alia iucunda, magis etiam confirmati in errore haeserunt plurimi in his formulis et ornamentis poesios Pindaricae, nec satis attenderunt ad interiorem fabularum rationem aliunde cognoscendam. Quo magis mihi de hac re explicate dicendum fuit.

Secundo loco de delectu et ornatu rerum lyrico significavi me expositurum. Quum enim ex formulis et titulis supra tractatis interior sensus fabularum plerumque cognosci non possit, quam maxime ad ceteram tractationem attendere interpres debet, quae summae sententiae carminis accommodata est ubique; hinc igitur discere debet, quid velit fabula. Redit autem summa rei ad observationem hanc: Epicus poeta omnes partes rerum, quas tractat, tangere amat atque etiam minora studiose exsequitur, explicatam, nullo in loco mancam narrationem exhibiturus: lyricus quum fabulas non ipsarum causa afferat, sed propter alium finem, exemplis mythicis hoc vel illud illustrans, commendans, dissuadens, consentaneum est ea tantum ab eo eligi et amplificari, quae consilio proposito conveniant, omitti vero aut breviter tangi quae nunc nullam vim habeant. Atque in hoc maximum inest epicae et lyricae tractationis discrimen. Quae res quum non possit aliter explicari quam exemplis, nunc instar omnium carmen Pyth. IV. considerabimus. Ibi Pindarus Argonautarum expeditionem narrans non epico more populorum mores et casus omnes itineris persequitur, sed quum ipse Iasonis exemplo Arcesilaum ad moderationem hortari vellet, huc omnem tractationem revocavit. Igitur

primum per sexaginta versus id agit, ut Iasonis imaginem nobis exhibeat. Ac ne mireris, quod tam diu immoretur rebus expeditionem antecedentibus, scite et prudenter etiam hoc excusat sic ordiens narrationem: Quodnam navigationis initium fuit, quae vis magna coegit heroes ad tale iter? Scire igitur ante omnia debemus, quid fuerit, quod tam periculosum iter susciperent. Fuit autem Peliae timor in causa, qui oraculo monitus, ut *μονοκρήπιδα* virum caveret, quum ab Aeolidis exitium sibi instet, hunc subito conspicatus in foro Iolci peregre mittere conatur, quod etiam perfecit. Verum sequamur singula narrantem poetam. Igitur Iason prodit in forum Iolci. Descripturus autem Pindarus cum robore et fortitudine insigni moderationem insignem in summo iure, orditur primum, ut par est, a specie viri declaranda et laudat staturam, tum ad ingenium moresque pergit. Ostendit vero Iason, postquam loqui coepit, cum confidentia et dignitate lenitatem eximiam (*θαρσήσαις ἀγανοῖσι λόγοις ὧδ' ἀμείφθη*), dicit, cur venerit, et narrat, quam iniuriam cum familia passus sit. Sed non agit tamen festinanter; primum domum paternam petit ibique cum cognatis sex dies laetissime exigit, tum ad Peliam tendit eique aequissimas proponit conditiones. Vides omnia sic instituta, ut quam pulcherrima in luce Iasonis virtus ponatur. Cedit Pelias, si primum vellus Phrixi reportatum sit; sic reducimur ad initium; apparet, quomodo factum sit, ut expeditio susciperetur. Sequitur altera pars narrationis de expeditione ipsa. Conveniunt heroes, tum iter narratur; sed quum illud maxime ostendere velit, Iason quomodo se gesserit et adiutus fuerit a diis, iterum huc omnia revocat, cetera omittit aut breviter tractat, nec heroum casus et res gestae aliae praeter Iasonis memorantur. Conspicitur autem etiam hic tum fortitudo viri, qui longinquum iter strenue persequatur et boves ignivomos aratro iungat draconemque occidat, tum pietas praeclara; deorum enim singulari ope intelligens opus esse nec solis humanis viribus confisus stans in puppi ante omnia ad deos preces sollemnes facit praeitque ritus etiam postea in expeditionibus maritimis observatos. Hinc igitur etiam dii eum eximie adiuvant, Iuno, Iuppiter, Neptunus, Venus, ac quum Aloidarum et Tityi impia insolentia et audacia meritis poenis coercita fuerit, Iason feliciter omnia peragit atque etiam Medeam coniugem consequitur. Quibus expositis perspicue patet, quae in prima parte habentur Iasonis laudes, eas continuari et absolvi in secunda. Postremo ut in primis initiis universae narrationis pro-

miserat, in fine ad Euphemidarum origines venit, optime in reditu demum e Colchide Argonautas Lemnum appulisse statuens ut Myrsilus, cf. Mülleri Orchom. p. 302., quum vulgo ante ponti aditum eo veniant; nam et Iasonis descriptio sic non interrumpitur, et quum propter Arcesilaum omnia dicta sint, nunc etiam illud intelligitur, peractae feliciter virtute Iasonis expeditioni ortum regiae gentis deberi, quo ipso absolvitur egregia vis admonitionis. Videmus igitur universam narrationem prudentissime ad eum finem lyricum revocatam, ut Arcesilai animus commoveatur gravissime; quum enim epicus poeta pariter omnes tenere velit, lyricus praesentia epinicia, praesentem victorem respicit constanter et huc omnia dirigit. Sed age iam etiam de singulorum locorum tractatione dicamus, ut etiam hic lyricam ubique artem et ornatum agnoscas. Atque ut ab ultimis ordiar, quum in Colchide Iason primum boves aratro iungere deberet ignivomos, antequam vellus adiret, Pindarus de velleris recuperatione ipsa et de serpentis occisione breviter dixit, spendide vero tractavit narrationem de bobus iunctis, quae res et ornatum praeclarum admitteret heroicae virtutis et certum augurium esset sequentium, ut hoc qui perfecisset eum vix posset dubitari pari laude perfecisse etiam cetera. Finis quidem expeditionis velleris recuperatio est, sed Pindarus expeditionem propter Iasonem narrat, quare, quum epicus poeta utramque rem tractare debeat, lyricus prius solum ornate narravit, et quum sic declaraverit fortitudinem viri opemque deorum singularem, non opus habuit etiam altera re narrata idem ostendere iterum. Neque enim res et facta ipsorum causa narrat, sed propter id quod docere vult, et movet non multitudine rerum, sed gravitate. Tamen saepe reprehensus est Pindarus, credo, quod in fine tam celeriter narrationem abruperit. Hic vero similiter ex viae casibus unam tantum tractavit rem, quae maxime percelleret animos miraculi magnitudine, Symplegadum motum terribilem a Neptuno propter Argonautas inhibitum et fractum in perpetuum, in quo etiam hoc lyricum, quod ζωὰς dicit πέτρας. Considera porro magnificum locum de Venere, quomodo effecerit dea, ut virgo generosissima Medea verecundiam parentum abiiceret et peregrino iuveni se desponderet, et vide preces Iasonis ante iter in puppi factas non epica simplicitate, sed lyrica cum vi, undas et noctes diesque qui invocet; denique ubi heroes convocantur, etiam ibi non epico more enumerat omnes, sed fines extremos indicat, unde venerint, ac quum nonnulli nominandi essent, eos laudat,

quorum nomina Cyrenis, ubi canitur carmen, maxime iucunda auditu essent, praesentium hominum delectationem respiciens, quod ita nusquam facit epicus, ut narrationem propterea mutet aut contrahat. Redeamus nunc etiam ad primam partem. Ibi statim in descriptione staturae Iasonis maxime lyrica et Pindarica est illata Aloidarum et Tityi mentio admixtaeque hoc modo roboris laudibus ethicae res. Mox in oratione publica Iasonis ne de dignitate admirabili dicam, affectus plenus est locus, ubi iuvenis narrat, ut olim eum infantem timore tyranni in fasciis extulerint quasi mortuum e domo paterna inter eiulatum feminarum. Et observa in fine orationis haec poni, ut aculeos relinquant in animis audientium; post quae discedit continuo ad hos ipsos tam diu non visos parentes. Iamque huic tristi praeteritarum rerum memoriae opponitur laetitia paternae domus et cognatorum undique accelerantium conviviumque per sex dies continuatum; sunt etiam in epica poesi oppositiones plurimae, ut par, sed lyrica in ea re ars est ingeniosior. Denique finitis convivalibus gaudiis altera oratio Iasonis sequitur sapientiae et moderationis plena, in qua quid dici potuit gravius et magis lyricum his: *Μοῖραι δ' ἀφίσταντ', εἴ τις ἔχθρα πέλει ὁμογόνοις, αἰδῶ καλύψαι*? Profecto, ut omnia colligamus, nihil omisit poeta, quin gravitate rerum, sublimitate sententiarum, vi oppositionum, grandi denique imagine heroicae praestantiae supra vulgarem modum mirum quantum elata teneret, moveret, abriperet in admirationem; quare, quum olim plurimis recessisse a lyricae poesios ratione visus sit in hoc carmine, ego illud velim persuaserim omnibus non potuisse magis lyrice epicum argumentum tractari. Possem nunc etiam breviores narrationes alias similiter examinare, ut preces Herculis ad Iovem de filio Telamoni dando, fabulam de infante Hercule, serpentium occisore, de Cyrena nympha, sed quum talia post ea, quae hic et in Commentario diximus, vix egeant explicatione, malo de sententiarum ethicarum usu in fabulis verbum addere, quae, ut variant suaviter narrationem partesque eius nectunt, ita simul universum fabulae cuiusque sensum eximie adiuvant. Sic Ol. VII. quum fabulae Rhodiae ad Diagorae casum excusandum pertineant, observare iuvat, ut poeta primum in loco de Licymnii caede a Tlepolemo commissa de imbecillitate humana erroribus obnoxia dicat, deinde iterum in altero loco de Heliadis, qui, cum Minervae cultum conderent, ignem omiserant, repetat idem aliis verbis, ut facile sentias nuper factum esse quod excusatione egeat. Rarae

sunt sententiae in iis fabulis, quae laudi inserviunt, atque absunt a multis huius generis, ut Ol. VI. IX. XI. Pyth. V. VIII. Isthm. I. III. IV. V.; imprimis vero reperiuntur et iure quidem, ubi admonitiones aguntur, quanquam ne in his quidem omnibus, ut Pyth. X. Nem. V. Isthm. VII., si vel lenior et tectior admonitio est, vel aliis in locis carminis dictum quantum satis. Plerumque tamen leguntur in talibus fabulis, quae vim narrationis adiuvent, et solent etiam repeti eadem saepius aut similia, ut Ol. VII. vidimus. Sic etiam Nem. IX., ubi Chromium a bello dehortari vult, quod tum forte agitabatur a Syracusanis principibus, primum in laude Adrasti v. 15. dicit: *κρέσσων δὲ καππαύει δίκαν τὰν πρόσθεν ἀνήρ*, probans, quod in Commentario non notavi, Adrastum, quum pacificam mentem haberet et ultro in gratiam rediret cum inimicis, summam potentiam consequutum et felicissimum factum; tum infaustum bellum contra Thebas quum narrasset, in fine v. 27. ait: *ἐν γὰρ δαιμονίοισι φόβοις φεύγοντι καὶ παῖδες θεῶν.* Vides utramque sententiam eodem pertinere. Similiter Ol. I. quae dicuntur: *ἁμέραι δ' ἐπίλοιποι μάρτυρες σοφώτατοι. ἔστι δ' ἀνδρὶ φάμεν ἐοικὸς ἀμφὶ δαιμόνων καλά, ἐμοὶ δ' ἄπορα γαστρίμαργον μακάρων τιν' εἰπεῖν, εἰ δὲ θεὸν ἀνήρ τις ἔλπεταί τι λαθέμεν ἔρδων, ἁμαρτάνει*, haec igitur etsi primum propter Pelopis et Tantali fabulas dicta sunt, tamen nunc non dubito etiam Hieronis causa adesse omnia, qui pius et religiosus esse debet, quum impia semper puniantur, nec sit quod non deus animadvertat et tempus aliquando aperiat. In epica poesi sicubi talia leguntur, propter solum nexum rerum dicta sunt; in lyrica vero simul ad praesentem victorem pertinent, et vix est, credo, huiusmodi quid apud Pindarum, quod non simul praesentibus rebus accommodatum sit, quemadmodum decet perfectum lyricum. Sic Ol. XIII, 83. verba: *τελεῖ θεῶν δύναμις καὶ τὰν παρ' ὅρκον καὶ παρὰ ἐλπίδα κούφαν κτίσιν*, primum propter Bellerophontem dicta sunt, sed quidni etiam Xenophonti animum addiderint, qui curulem victoriam meditabatur? Pulcherrima enim ars Pindari est, quod multis modis in carmine dissipata exstant quae eodem pertinent, vulgo non animadversa, nisi penitius cognoveris poetam. Similiter Nem. I, 53. quod legitur: *τὸ γὰρ οἰκεῖον πιέζει πάνθ' ὁμῶς· εὐθὺς δ' ἀπήμων κραδία κᾶδος ἀμφ' ἀλλότριον*, dictum de Cadmeorum principibus; qui convivio excepti ab Amphitryone una cum eo, Herculis casu commoti, accurrunt, non minus tamen etiam ad Chromium pertinet, qui iam ante eo nomine laudatus est, quod

prudens amicos sibi paret hospitalitate. Propria vero ratio Pindari, quod saepe in alia parte alludit ad aliam. Sed nolo plura afferre; satis etiam de hac re dictum. Expositis igitur omnibus, quae huius loci videbantur, ad aliam accedimus quaestionem.

Tertium enim de praeparatione rerum in narrationibus fabularum explicare constitui, quam rem fieri non potuit quin iam in antecedentibus tangeremus, nunc autem pluribus verbis tractabimus, quantum quidem huius disputationis ratio postulabit. Igitur, ut hinc ordiar, disponuntur fere res in narrationibus secundum temporum successionem: prius quod factum narratur fere prius, deinde narratur quod factum deinde; copulantur autem singula per transitus, sive continuo ex antecedentibus via munita ad sequentia per continuationem aut oppositionem, sive interposito alio loco, qui pro vinculo sit, veluti supra in capite de tractatione directa de interpositione precum aliarumque sententiarum verbo monuimus. Sed haec compositio per se tamen laxa et parum arcta fuerit, nisi etiam praeparationes scitae adsint et interiores nexus, ut exspectatione traharis ad sequentia et singula ex singulis quasi sponte oriantur. Qui scripto uno loco secundum subiicit, secundo tertium, hoc solo modo non facit, ut praesentiam quid sequuturum sit, et potest ad diversissima quaeque artificiosis iuncturis deducere paulatim lectorem, nisi ante constet quo spectent haec omnia, quo tendat cursus, quid exspectare debeas. Vides praeter transeundi artem etiam alia ratione opus esse, quam praeparationem dicimus. Optime igitur institutum est a poeta quod supra explicuimus, ut in fronte narrationis thema ponat, quo revocare omnia velit; hoc enim artificio et exspectatio movetur sequentium et haec ipsa firmiore vinculo constringuntur, ut quasi necessariae partes eiusdem rei videantur. Quae ratio per se imperfectior est, ubi indefinitius thema ponitur, veluti Ol. IX. quum Opuntis urbis laus promittitur, per se ex illo titulo intelligi nequit, ubi subsistere debeat narratio, sed ibi tamen alio modo succurritur themati, quum perlecta narratione ipsa ratio rerum te doceat finitum esse cursum. Nam a diluvio orsus usque eo deducit narrationem, donec civibus plenam et gloria heroum illustratam videamus urbem. Similis ratio est Ol. VI. Origines Iamidarum explicare vult (v. 24.), qui per se indefinitior titulus; ubi vero orsus a primis initiis Iamo vaticinandi artem in Olympia datam narravit Iamidasque inde claros factos per Graeciam et fortunatos,

quid desideras amplius? Atque ita saepe in narrationibus scriptorum ipsa tractatio supplere debet quod thema in incerto reliquit, quum non ubique plane definita themata ponere liceat. Apud Pindarum vero, ut vidimus, plerumque satis perspicue praefinitur ambitus rerum, scopo indicato et exitu fabulae in fronte, quo redire debeat oratio in fine. Quae pulcherrima compositio. Sed raro tamen etiam haec res sufficiet per totam narrationem; debent praeterea etiam singulae res, ubi opus, scite praeparari et interius necti, ut posteriora pulcre ubique sequantur ex antecedentibus, ne quid casu adesse videatur, nec quis hiatus exsistat iniucundior. Quae omnia tam bene intellexerunt et observarunt veteres, ut etiam ab hac parte qui narrationes eorum examinaverit non possit non acumen admirari et iudicium subtile. Vides, quam vim habeat praeparationis artificium; quare operae pretium fuerit totam rem ad distincta genera revocare. Ac primum quidem affero illud genus, quod simplicissimum est, sed multis modis usurpatum, n u n t i a t i o n e m dico (die Ankündigung), ubi quod postea narratur ante aliquo modo nuntiatur sive definitius et apertius sive indefinitius et minus distincte. Sic Nem. IV, 45 seqq. dulce carmen Cypro et Aeginae parans Pindarus nuntiat Aeacidarum in Cypro et Aegina laudem, quam in sequentibus exhibet. Isthm. V, 19. Aeacidas ut celebret sibi maxime perspicuam legem dicens, nuntiat sequentes eorum laudes. Ol. VII. cum Rhodi laude venisse se dicens nuntiat Rhodias fabulas. Sed haec faciliora et iam ex antecedentibus nota exempla; dabo igitur alia. Pyth. IV, 70 seqq. quum dicatur Peliae oraculum datum se moriturum ab Aeolidis, caveretque μονοκρήπιδα virum, si e montibus veniret Iolcum, his verbis et Iasonis adventus nuntiatur eiusque habitus montanus et Magnesius, et Peliae post compertum adventum occursus, ut iam non miremur, quod rex v. 95. statim accelerat. Mox Iason in prima oratione quum indicet, quamobrem venerit, tum parentes quaerat, ubi habitent, nuntiatur duplex res; nam et sermonem exspectamus alium eius futurum cum Pelia, et paternae domus laetitiam praevidemus; quare uterque locus e priore pendet per nuntiationem. Sed hoc genus praeviae significationis interdum etiam lenius est, ut fugere possit attentum. Sic Ol. XI, 60. descriptio primi festi Olympici undenam pendet? Dixerat ante Herculem primam Olympiadem celebrasse cum ludis, narraveratque prius etiam campum comissationibus paratum. Sic iure exspectamus aliquid amplius dictum iri de certaminibus et comissationi-

bus tum primum factis. Neque enim ubique expressis verbis opus. Aliis in locis non ipsa res nuntiatur, sed tamen significatur futurum aliquid cognitu quod dignum et memorabile. Sic Isthm. V. quum ordiens fabulam de Aiace Herculem dicit invitaturum Telamonem coenantes forte invenisse heroes, hoc agit, ut exspectationem moveat. Quid igitur nunc fiet, quid dicet Hercules? quaerimus, quum moris esset apud Graecos, ut, si quis convivio interveniret, poculo exciperetur et preces faceret. Postremo etiam illud indirectum nuntiationis genus praeterire non debeo, quod oppositione praemissa fit, si quidem etiam oppositio est, ubi certam sequentium exspectationem moveat. Quale exemplum Pyth. IV, 88 seqq. exstat. Ibi quum in descriptione staturae praeclarae Iasonis data opera tractata postremo, antequam mores viri nobis ob oculos ponat, de Aloidis et Tityo dicat, corporis magnitudinem roburque cum insolentia et impia mente qui habuerint coniunctum, quis non sentit praeparari sequentia et alios nuntiari Iasonis mores? Sed de nuntiatione, quam proprie dicam in his rebus, satis expositum. — Pergo ad aliud genus praeparationis, quod per positionem facti aut sententiae fit, cuius causa vel ratio reddi, cuius explicatio subiici debeat. Excitatur enim etiam sic exspectatio, et praevidemus sequuturum, quod nodum solvat. Atque hoc artificium maxime lyricum est et a Pindaro eximia cum vi multis locis adhibitum. Primum enim huius loci sunt themata et tituli fabularum in fronte lecti ii, quibus sententia aut factum ponitur ipsa narratione fabulae explicandum, de qua re supra satis dictum. Deinde vero etiam in ipsis narrationibus saepe reperias idem genus. Sic Ol. IX, 53. in media fabula Opuntios reges dicit a Cronidis et filiabus Iapeti esse, quod quasi pro aenigmate positum sequens periodus explicare debet et explicat, quemadmodum ostendi in Commentario. — Ol. VII. 24. a Tlepolemo Licymnium caesum narraturus primum de imbecillitate humana erroribus obnoxia dicit, tum ipsam rem pro explicatione subiicit, in fine ad initium redit. Similiter ibidem v. 45. in narratione de Heliadis primum iterum de erroribus dicens exspectationem movet, tum quid acciderit iis subiicit. Etiam Ol. XIII, 83. infertur sententia de deorum vi omnia perficiente, unde nexa pro explicatione subiiciantur sequentia facta. — Nem. IX, 11. de Adrasto ait: Qui Sicyone regnans urbem festis et ludis ornabat, fugerat enim ex Argis bello intestino pulsus; in quo quod factum in primo loco ponit in altero explicat narrans, quomodo

Argivus, qui erat heros, Sicyonem venerit. Ac quum vulgo in narrationibus secundum temporum ordinem disponantur res, hoc artificio pulcre invertitur saepe hic ordo. Vulgaris enim ratio erat: Qui bello intestino pulsus fugit Argos et quum Sicyonem venisset, ibi rex factus ornavit urbem. Pergo ad alia. Imprimis suave totum hoc, de quo loquor, artificium, ubi quod per explicationem antecedentibus subiicitur simul eiusmodi est, ut inde denuo nectantur alia. Sic Ol. XI, 42 seqq. postquam indicavit dimensionem et partitionem Olympiae ab Hercule factam, ne quaeras, quomodo res ex antiquitate servata sit, antequam pergat, pro explicatione subiicit Parcas adfuisse, omnia quae sanxerint, et tempus memoriam rei conservaturum, tum in viam rediens inde suaviter nexis proximis narrat, quid porro tradiderit tempus tum ab Hercule institutum. Ol. XIII, 64 seqq. postquam dixit multum laborasse Bellerophontem in Pegaso domando, antequam a Minerva datum in somno frenum haberet, explicationis causa subiicit de Polyidi scilicet monitu heroem in templo cubuisse, quem nunc certiorem faciens de eventu heros simul docetur, quid ei faciendum sit. Sed nobilior in hoc genere locus est Ol. I, 25 seqq. Ibi primum narrat Pelopem a Neptuno amatum, ex quo Clotho eum post partum e pelvi sustulerit, deinde quum vulgo alia narratio haberetur, explicans et confirmans quod posuerat, iustissimum enim ad convivium ait deos a Tantalo vocatos ibique raptum Pelopem, coctionem vero ab invidis excogitatam; quae, antequam diceret, etiam propiore nova praeparatione praeparavit, de mendaciis loquens, quibus passim fabulae corruptae. Lyrica ars hoc agit, ut, quam diu possit fieri, suspensa teneatur exspectatio; inverte ordinem locorum, laxam habebis compositionem, non adstrictam. Ceterum de hoc loco etiam in Commentario dixi, ubi lectorem ad hanc Dissertationem relegavi. Vulgo statuunt viri docti primum hic Pindarum ab aliis perperam tradita posuisse, deinde sua substituisse meliora, quod tamen nusquam ita factum ab eo reperio, quia non lyrica esset haec dispositio, sed primum ponit id, quod res est, tum explicat et confirmat. Et hic quidem, ut cetera addam, etiam illud porro observa e posteriore loco, qui antecedentis explicationem habet, ut dixi, eundem in modum aptum esse proximum de Tantalo; quum enim iustum ad convivium vocaverit deos, porro explicandum est, qua alia ratione poenam notissimam suam meruerit. Ut suavissimo nexu alterum ex altero pendeat. Atque haec quidem de hoc loco. Postremo aliud illustre exemplum eius-

dem artificii video Isthm. V. Ibi postquam dixit Aecidarum laudem maximum sibi officium esse Aeginam venienti, quo titulo universum illum mythicum locum complectitur, primum gloriam immensam praedicat eorum, nominatim Pelei, Aiacis, Telamonis; tum huius gloriam explicat narratis rebus cum Hercule ab eo gestis; denique nova explicatione declarans, quomodo invitatus ab Hercule et permotus ad has expeditiones Telamo sit, ultimo loco fabulam de Aiace filio ante exitum a Iove impetrato subiicit. Inverte ordinem, habebis vulgarem et non lyricam dispositionem. Ac non solum in fabularum narrationibus, sed etiam in directa oratione, ut par est, hoc artificium regnat. Sic v. c. Nem. III. in fine primum v. 70 seqq. laudat, si quis tribus vitae aetatibus se distinxerit rebus gestis, deinde ultimis verbis carminis nominat tres victorias ab Aristoclida reportatas, ut etiam hic primum mota exspectatio sit, deinde explicatio reddita. Aliud magnificum exemplum est Pyth. VI. init., ubi primum de umbilico terrae inconcusso dicit et de gloria victoriae aeternum hic splendente, mox pietatis laudem esse docet, magnae et illustris virtutis, qua haec victoria splendeat. Verum satis de hac re diximus. — Tertium denique affero nexum per consequutionem, ubi ea ratio partium est, ut posteriora e prioribus ut e causa consequantur. Est hoc genus antecedentis, quod tamen latius patet, contrarium, et firma habet iuncturae vincula, quanquam non ubique tale est, ut praesentiri possit, quid sequuturum sit. Ingeniose hanc rem poeta intulit in narrationem de Pelope Ol. I. Ibi post narratam Tantali culpam poenamque sic ad Pelopem redit v. 65., ut etiam hunc propterea a superis ad mortales remissum dicat, et hoc quidem praevideri quodammodo poterat; qui vero deinde per eandem iuncturae rationem subiicitur secundus locus, certamen de Hippodamia adiisse Pelopem significans, ne semel ad mortales remissus inglorius vivat expersque bonorum, optime quidem nexus est antecedentibus, tamen per se minus praevideri posset, nisi initio fabulae de Pisa, colonia Pelopis, praemonitum esset. At Nem. I. in fabula de Hercule post narratam eius cum serpentibus pugnam facile praesentias effectus rei; consequens est, ut trepidatio feminarum describatur patrisque Amphitryonis accursus, et ut vates advocetur quid significet miraculum indicaturus. Vides duas ultimas narrationis partes etiam hic ex una priore nexas tanquam ex causa effectum. Eiusdem porro generis sunt interrogationes et cohortationes ut aliquid efficiatur illatae. Sic Pyth. IV, 97 seqq., quum mores Ia-

sonis ostendere nobis velit poeta, ne hic ex abrupto loqui ordiatur, sed causam habeat dicendi, Peliae amarulenta interrogatione provocatur responsio iuvenis. Cohortationis autem scite illatae pulcrum exemplum est Pyth. IX., ubi in fabula de Cyrena e Chironis oratione omnia pendent. Apollo affectu amoris abruptus statim sub divo in Pelii vallibus amplecti vult puellam, sed in fatis erat, ut in Libya coniugium fieret. Atque haec res ad exitum perducitur interposita inter initium et finem oratione Chironis, qui primum dehortatur Apollinem ab eo, quod cupiebat. tum fatorum admonet efficitque, ut deus faciat quod faciendum erat. Sufficiant haec exempla. Vidimus potiores modos, quibus aptior compositionis ratio nititur, quibus exspectatio movetur, ne quid casu sequi videatur (die feinern Verknüpfungs- und Motivirungsarten); reperiuntur iidem in aliis generibus, nec solis narrationibus propriae sunt; nos vero etiam ea de causa de iis exposuimus, quia universa dispositio horum carminum statim explicanda non potest intelligi aliter.

DE DISPOSITIONE PARTIUM.

Accedimus ad ultimum caput disputationis nostrae, quod in explicanda universa dispositione partium et constructione horum carminum rotunda versabitur; quaestio non sane facilis, sed quae ad explicationem Epiniciorum et ad artem poetae mirabilem cognoscendam maximum momentum habet. Ac primum de prooemii forma nonnulla praemittemus. Prooemiis instructa esse Pindari carmina res ipsa docet, et Pindarus *προοίμιον* appellat Pyth. VII., *προκώμιον ὕμνον* Nem. IV. Est autem consilium prooemii omnino hoc, ut annuntietur, praeparetur carmen et initia ponantur, unde proficisci oratio possit ad cetera; atque interdum simplex est, sed plerumque ornatum, nunc sententiis ingeniosis, gravibus, nunc comparationibus illustribus, nunc mythicis rebus illatis, ut par est fieri in fronte carminis. De quo ornatu breviter dicam. Inest igitur in prooemiis omnino sententia haec: Cano s. canam Sempronium, Caium victorem. Semel hoc simplicissime dixit Pyth. IX., alias autem multis modis variatur res pro temporum, locorum, epiniciorum, carminum ratione, ac bis, Ol. XI. et Isthm. II., etiam excusationem posuit, quod non prius cecinerit. Igitur ut exempla ponam, Ol. X. quemadmodum alias alia utilia, sic in rebus gestis carmine opus esse dicit. Ol. II. orditur: Quid praecipiemus hymni citharae canendum? Ol. IX. quum Epharmo-

sto in Olympia Archilochi brevis hymnus in comissatione cantatus esset, inde ducta forma prooemii nunc maioribus et fortioribus telis ab arcu Musarum petendam Olympiam et Delphos ait. Nem. III. invitatur Musa, ut in Aeginam eat ad canendum carmen diu exspectatum, et Nem. IX. Musae Sicyone ab Apolline vocantur in hospitalem Chromii domum. Pyth. XI. heroinae Thebanae convocantur in templum Apollinis Ismenii, ut celebrent Delphos, ubi victoria parta. Isthm. VII. choreutae excitantur, ad Telesarchi domum ut eant et victorias eius canant, ut Ol. I. in Hieronis beatam domum veniunt. Pyth. VI. poeta sive Veneris sive Gratiarum arva colens Delphos tendit. Nem. V. non statuarium se esse dicit, sed quoquoversus ut exeat hortatur cantum et in omnes partes divulget victoriae nuntium. Pyth. II. ipse carmine misso nuntium fert Syracusis victoriae Hieroni Thebis partae. Isthm. V., quasi praesens convivio ducta metaphora a poculis tribus, quae in conviviis miscebantur, unum, ait, ante miscui, secundum nunc misceo, tertium utinam olim miscere liceat. Nem. IV. vim recreatricem poesios praedicat post certaminum labores, et Ol. VII. in Diagorae tristi casu nectare Musarum praebendo victores exhilarare se dicit, ut quum in sponsalibus phialam auream vino plenam socer genero propinet. Magnificentissima autem laus poesios Pyth. I. habetur. Atque ita vides, ut dixi, multis modis variatam prooemii formam ex laude poesios. Est deinde aliud genus, ubi simul diis dedicatur carmen. Tales primum sunt auctores victoriarum, qui laudantur, saepe etiam orantur, ut benigne recipiant hymnum et pompam. Sic carmen Ol. III. consecratur Tyndaridis, Ol. IV. Iovi, Ol. VIII. Olympiae, Ol. XII. Fortunae, Ol. XIV. Gratiis, Pyth. IV. Delphicis diis, Pyth. VIII. Hesychiae, Nem. VII. Ilithyiae, Isthm. IV. Thiae. Alia vero urbis patriae cognomini deae dedicantur, ut Isthm. I. et VI. Thebae, Nem. X. Argorum laudi, Ol. XIII. Corintho, Nem. I. Ortygiae; at Ol. V. Camarina dea oratur, ut propitia Psaumidis pompam recipiat, et Pyth. XII. Agrigenti dea, ut Midae. Denique singularem causam habet Vestae invocatio Nem. XI., nec praetereo Nem. VIII., quod Iuventae amoris nuntiae dedicatur. Nam dea ibi est. Totum hoc genus mythico ornatu placet, ut alterum poesios variata laude. Sunt denique pauca, ubi, quum summa sententia carminis proponatur, poeta se de his canere velle aut post prooemium dicit aut ne dicit quidem, sed ipsa re significat; cf. Ol. VI. Isthm. III. Pyth. V. Nem. VI. Ac de ornatu prooemii dictum; gravius est alterum, quod supra

monui, prooemio initia et praeparationem carminis poni. Quae res quid significet, mox patebit. Est enim nunc mihi de universa dispositione partium explicandum.

Artificiosas esse rerum dispositiones in his carminibus brevis lectio docet: nullum fere carmen rectum cursum tenet, sed sunt plerumque diversis locis posita quae in unam sententiam colligi debent, interiectis aliis, quae interrumpant; explicatio antecedentium saepe e fine petenda, finis nunc initio nunc alii parti respondet. Quae omnia temere instituta esse et nullo idoneo consilio a tali poeta quis credat? Tamen quaenam causa mirificae rei, quae leges? Difficilem rem expedire conabor in sequentibus, ut et poetae quanta sit in hoc genere ars cognoscatur et interpretem quae via ducat e labyrintho pulcherrimo. Igitur, ut statim hinc ordiar, hac lege composita haec carmina dico, ut in prooemio exspectatio moveatur initiis carminis positis, inde tela incepta, mox interpositis aliis nodisque nexis novis suspensus teneatur animus per totum carmen, donec in fine omnia soluta et explicata videat. Perperam enim statuas, si modo inter partes carminum transitus apti habeantur, adesse omnia, quae postulari possint; hoc solo conglutinationis artificio ut non drama, non epos, ita etiam non iungitur bene Pindaricum carmen, sed addi etiam alia maiora vincula debent, ut firmius constringantur omnia, debent, ut in narrationibus supra ostendi, exspectationes moveri nodique necti et solvi, ut orbes exsistant et ambitus rerum. In quo apud Pindarum maximum commodum habet duplex genus argumenti, praesentes res dico et mythicas. Quum enim directae et mythicae orationis ratio haec sit, ut mythicam explicet directa, si fabulas initio aut in medio carmine posueris, h. e. si comparationem prius posueris, antequam quo pertineat comparatio penitus explicueris, pulcherrime profecto effeceris quod ars poetica postulat, ut suspensa teneatur exspectatio; atque ita fecit ubique Pindarus, nisi quod bis, Pyth. IX. et Nem. I., in fine fabula habetur, quae tamen ipsa pro explicatione priorum est, ut infra ostendam. Verum accuratius nunc indicare debeo universam dispositionis rationem. Video autem duas omnino res esse, quibus tota haec Pindari ars constet, praeparationem et implicationem partium. Praeparationem dico, ut supra satis exposui, si non plane inexspectatae veniant res, sed, antequam legantur, in alia parte carminis praemonstrentur aliquo modo, quod maxime nuntiatione fit aut positione rei explicationem desiderantis. Sed

praeparatione sola non efficias hic omnia, quibus opus habet ars; accedere debet implicatio partium, quae ab interpositione pendet. Atque de hac nunc est dicendum. Pindaricum carmen, si brevia quaedam excipias, duabus minimum partibus constat praeter prooemium, quarum vel excipit una alteram vel interponitur alteri in duos locos divisae. Iam fac primum duas partes positas unam post alteram haberi; harum si prior tantum praeparata in prooemio est, altera vero priori assuta, plane intolerabilis forma nascitur, ne in somno quidem quae Pindaro in mentem venire poterat nec reperitur apud eum usquam. Sin ambae partes praeparatae prooemio sunt et inde pendent, ne sic quidem bona forma est, nisi etiam ipsarum partium secunda ex priore pendeat. Quod statim locum habebit, si secunda rationem reddat prioris et causam eius contineat, ut sic etiam per priorem praeparata sit atque interno vinculo ex ea nexa. Agnoscis etiam non monitus quam diximus positionem rei in sequentibus explicandae. Prooemio autem nunc vel definitius vel indefinitius nuntiare licet carmen. Sunt apud Pindarum duo exempla huius compositionis. Nem. X. in prima parte fortitudo gymnica Theaei laudatur singularis et maiorum, in altera amor fraternus, quam rem simul in causa vult esse gymnicorum decorum, perspicue significans datam a Tyndaridis vim athleticam genti esse propter iustitiam. Prooemio praemonemur et fortitudinem et alias virtutes cardinales, prudentiam iustitiamque, iam olim Argis viguisse. Quae est nuntiatio. Alterum carmen huius generis est Isthm. II., ubi in prima parte victoriae curules Xenocratis praedicantur a diis ei datae, in altera per virtutum laudem ratio redditur, cur dii tantopere faverint viro. In prooemio poeta dilationem carminis excusans nihil significat nisi nunc se cantaturum. Sed potest etiam per consequutionem effectus secunda pars iungi priori. Sic Ol. V. in prima parte virtus Psaumidis explicatur, qui nec labori nec sumptibus parcens urbem patriam deosque eius tutelares ornavit; in altera preces fiunt pro futuro flore urbis et cive Olympionica. Quae res sic est intelligenda, causas precum in prima parte esse. Pendet igitur secunda ex prima ut e causa. Sunt hac compositiones, ut ipse vides, simplicissimae, et perquam angustos fines haberet ars, si nulli alii modi suppeterent; nam etiam haec ratio, ferenda illa, ubi duae partes sunt, displicet nimia simplicitate et laxitate, ubi tres, ut nullum apud Pindarum carmen sit huius descriptionis (Prooem. — a b c). Quare alia poetae tentanda fuerunt. Ac-

cedimus sic ad interpositionem, quam dixi. Est **interpositio**, ubi una pars dividitur in plures locos, quibus inseritur altera, ac quum supra de praeparatione dixerim, interpositio vel praeparata est vel non est, habetque hoc commodum, ut etiam ibi adhiberi possit, ubi non praecessit praeparatio; id quod aliquoties factum a Pindaro. Porro interposita res vel mythica est vel alia, plerumque tamen mythica. Usitatissima enim horum carminum forma haec est, ut statim post prooemium ludicram laudem victoris directa oratione explicare incipiat poeta, mox abrumpat et transeat ad mythica, in fine autem redeat et pertexat inceptam directam laudem. Neque vero promiscue omnia interponi possunt et interponuntur, sed quae specie licet diversa revera tamen coniuncta sint rebus, quibus interponuntur. Has autem et ipsas ne temere dividi credas; sed prudenter ea ubique in fine collocantur, quibus antecedentia nituntur et explicantur. Sic initio promittitur et paratur laus, in fine tractatur, ut Isthm. I. coll. v. 14. et v. 32. cum v. 52 seqq., aut initio virtus et fortuna victoris generatim laudatur, in fine certamen ipsum, quod peractum, ut Ol. VI. coll. v. 9 seqq. cum v. 74 seqq., Ol. VIII. coll. v. 13. cum v. 67., Nem. VII. collat. init. cum v. 70 seqq. Alias in priore parte recentem et maiorem ponit victoriam, in fine priores, sive solas sive repetita mentione prioris, ut Ol. VII. coll. v. 15 seqq. cum v. 80 seqq., Ol. IX. coll. prooem. cum v. 87 seqq., Nem. III. coll. v. 18. cum 70 seqq., Nem. V. coll. v. 5. cum v. 44., Isthm. III. coll. v. 10. et 61. cum fine, Isthm. VII. coll. prooem. cum fin. De qua re ita statuas, recentem et maiorem reportatam non sine prioribus, quibus se ante exercuerat victor et praeparaverat ad sacros ludos. Quum igitur prioribus causa contineatur recentissimae, omninoque vis ingenita sic demum tota in luce ponatur, etiam hoc modo explicatio sequitur rem explicandam. Intelliges sic, quomodo minores post maiorem laudare liceat. Res eadem, ubi eodem loco minores post maiorem recensentur, ut Pyth. IX, 75 seqq. Ubi vero in prima parte victoris coronae celebrantur, in fine gentis virtus et res gestae, ut Ol. XIII. Nem. IV. Isthm. IV., etiam hic gentis laude explicari puta victoris praestantiam, quippe inde ortam. Verum ne afferam plura, vides, quam egregie res dividantur ubique sic, ut exitus nodum solvat. Quibus explicatis apparet iam, qualia commoda totum hoc divisionis et interpositionis artificium habeat. Suspenditur animus, quia differtur quod inceptum erat et interponitur quod novam exspectationem movet, finis autem initium

absolvens simulque etiam fabulam explicans pulcherrime pendet ex utroque et coniungit utrumque. Qua re etiam iunctura totius carminis firmior fit et constrictior et rotundior eius forma. Quare mirifice placuit res Pindaro, ac praeter simplicem formam vulgatissimam etiam ornatiorem usurpat aliquoties, mediam partem qui complectitur orbis ut alio maiore inclusus sit. Si schemata adhibere licet, qualia in stropharum dispositionibus explicandis metrici nostri usurpant, simplicior forma haec est: a b a, ornatior autem haec: a b c b a. Ad praeparationem quod attinet, orbium initia necessario in prooemio sunt, media pars etiam proxime antecedentibus praeparari potest. Atque hoc genus compositionis περιπλοκὴν dixeris. Reperitur vero praeter hoc etiam aliud, ipsum quoque ex interpositione ductum, ubi mediae parti orbe comprehensae alia nova pars respondet extra orbem posita, ut orbes ex orbibus prodeant hoc modo: a b a b, a b a c b c. Quam rationem ἐμπλοκὴν nominaveris. Initia in prooemio primus orbis habet. Denique etiam artificiosiores aliquot formae sunt, compositae tamen ex superioribus. Diximus generatim; restat, ut ex ipsis carminibus quae posuimus probemus. Videbimus autem simul, quam prudenter ubique excogitatum prooemium sit et quomodo ex praeparationibus in prooemio positis cursus carminis pendeat. Atque in paucis prooemio indefinitius nuntiatur argumentum, ut propiora initia proxime post prooemium ponere necesse fuerit; in plerisque vero prooemium vel omnes vel duas vel unam carminis partem nuntiat satis clare, ac quum vulgo tractatio partium sequatur prooemium, nonnullis prooemiis etiam ipsius tractationis initialis pars continetur. His praemonitis ad exempla venimus.

Est igitur prima carminum forma, quae fundamentum et principium ceterarum, haec: a b a. Ol. I. in prooemio nihil dicit illustrius esse Olympico certamine, et excitatur exspectatio praestantiam huius certaminis in Hieronis promissa laude declaratum iri luculentius. Idque fit. Post prooemium orsus a victoriae ludicrae laude mox ad mythica transit, ac quum Olympia et Herculis epinicia essent et funebres ludi Pelopis, nunc huius fabula narratur. Postremo ad Hieronis ludicras res redit. Vides directam laudem

divisam in duos locos interpositamque fabulam, quae, quum duo *παραδείγματα* exhibeat, exitus simul explicare debuit, quo pertineant. Discimus autem ibi etiam curulem victoriam meditari regem, atque ita intelligimus, cur admonitio cum laude iuncta sit, cur hortetur poeta, ut pius rex sit et a superbia alienus, cur proposita Tantali poena et felicitas Pelopis a Neptuno amati. Denique in prooemio nuntiatum utrumque est, directa laus Hieronis et mythica Olympiae; interior vero sensus fabularum non nuntiatur, sed colligitur ex iis, quae dixi, et ex formulis religiosis hic illic positis. — Ol. III. in prooemio dedicatur Tyndaridis hospitalibus carmen in Theronis victoriam novo splendido modo componendum. Iamque orsus directa oratione victoriae huius laudem ex corona reportata ductam, mox ad fabulam de oleastro transit, postremo ad directam laudem regis reversus propter pietatem docet Tyndaridas hospitales Theroni hanc talem coronam dedisse, qua re et causa victoriae explicatur et dedicatio in prooemio posita. Ut rite confectus sit orbis. Fabula autem interposita etiam hic pulcre nuntiata in prooemio est, ubi *νεοσίγαλον τρόπον* promittit, pertinentque eodem in sequentibus *θεσπέσιοι ἀοιδαί*. — Ol. VIII. in dedicatione prooemii, immixta pietatis laude, nuntiatur victoria Alcimedontis. Iamque orsus ab ipsa ludicra virtute mox mythicum locum interponit de praestantia Aeginae, postremo ad ludicras res pertractandas redit. Mythicus locus praemonstratur in prooemio per laudem pietatis et per significationem vaticinii Alcimedonti dati, si quidem hae res per insulae et Aeacidarum laudem ad altiorem causam suam revocantur. Vulgaria explicatione non egent, at illustria. Pendet vero e veterum sententia fortuna et virtus singulorum civium e gentis aut civitatis genio, et inde explicari debet. Atque hoc loco ut mythicus locus antecedentia explicat, sic ipse penitus explicatur exitu carminis, ubi omni modo extollens poeta fortitudinem pueri, sic rationem reddit, quo iure illustria Aeacidarum facinora comparaverit. Semel hoc disertius moneo, etiam in aliis multis carminibus tenendum. — Pyth. V. in prooemio thema ponit plurimum valere divitias, cum virtute si coniunctae sint, quod perspicuum dicit esse in Arcesilao victore, a puero gloriam per Castorem qui habuerit. Iamque tractat victoriam curulem regis, sed immixta etiam ceterae fortunae regiae mentione ducensque ex his laudibus coniunctis simul admonitiones. Exin narratio de Batto, auctore gentis, interponitur. Postremo directa oratione ad Arcesi-

laum reversus virtutes viri laudat nuntiatas in prooemio, h. e. causas fortunae et victoriarum, tum preces facit pro futura Olympica victoria. Vides, quid res sit; nunc demum perspicue intelligitur thema et tractatio tota, cur admonitiones cum laudibus iunctae supra fuerint et cur de Batto dixerit; meditatur rex maiorem victoriam Olympicam, ut ante omnia pius erga deos et gratus erga aurigam esse debeat; similiter Battus nixam pietate felicitatem habuit. Mythicus igitur locus ut primam partem explicat fortunamque Arcesilai, ita ipse penitus explicatur exitu. Nam in hoc carmine admonitiones ad ludicra consilia regis revocantur, ut in quarto ad publicas res, quanquam revera utrumque carmen quodammodo ad unum finem redit. — Pyth. VI. in prooemio Delphos proficiscitur, ubi aeterna victoriae gloria exstat. Sic mota exspectatione iam praestantiam victoriae directa laude ex pietate illustrat, secunda quae virtus e Chironis praecepto sit. Tum fabulam de Archilocho subiicit, et in fine ad Thrasybulum reversus, pietatem adolescentis totam explicat, qui plurimis virtutibus egregiis imitetur patrem. — Nem. VI. de Bassidarum eximia gente dicturus in prooemio thema ponit de similitudine et dissimilitudine hominum et deorum, magis vero extulit sententiam de imbecillitate humana, ut pia et modesta esset tractatio, non gloriosa. Iam hinc cursus carminis pendet. Orditur enim ab iis rebus, in quibus imbecillitas gentis conspicitur, eoque etiam redit in fine, interposita altera parte de praestantia gentis. Vides errare qui sic mutare voluerunt exitum, ut nihil ibi de amissis victoriis dicatur. — Isthm. IV. in prooemio Thia laudatur, per quam naves et currus bellici admirationem habeant et ludicrae coronae dentur. Exin ludicram laudem Lamponis filiorum orditur, mox interponit locum de Aeacidis et de victoria Salaminia, nuntiatum et ipsum prooemio, et in fine ad ludicras res reversus, has absolvit, simul magnitudine laudis Cleonici genti tributae causam indicans, cur bellicarum rerum illustrem comparationem praemiserit. — Vidimus in his exemplis omnibus satis clare dispositionis rationem eam, quam dixi; erit haec etiam in sequentibus eadem, nisi quod hic in prooemio cum praeparatione etiam ipsius tractationis initium coniunctum apparebit, ut fabula statim post prooemium legatur. Pyth. XI. in prooemio convocantur heroinae Thebanae, ut Themidem et ὀρθοδίκαν umbilicum terrae celebrent, victoriam qui Thrasydaeo dederit, simulque incipitur etiam Thrasydaei laudatio. Tum interponitur fabula de Agamemnoniae domus

calamitatibus, nunc quidem, quod notandum, nuntiata per oppositionem. Laudans enim Themidem et *ὀρθοδίκαν ὀμφαλόν*, laudat iusta praemia et divinitus datos honores, uti etiam in exitu patet, dissuadet autem affectationem tyrannidis earumque rerum, quae non datae sint homini. Conferri possunt *θεμίπλεκτοι στέφανοι* simili causa dicti Nem. IX, 52. Postremo ad ludicras Thrasydaei eiusque familiae laudes reversus, simul per admonitiones directas fabulae sensum quantum satis illustrat. — Pyth. XII. in prooemio Agrigenti deam invocat, ut Midam benigne recipiat tibicinem, qui vicerit arte a Minerva inventa. Iam ad fabulam transit statim, qua narrata ad victoris certamen reversus, non sine labore qui vicerat, inde simul admonitiones ducit, praeparatas ipsa laude artis, non hominum, sed Minervae inventioni debitae. Inde enim sequitur modestiae officium. — Nem. V. in prooemio cantus in omnes partes divulgare iubetur laudes praeclari pueri, Aeginam et Aeacidas qui honoraverit. Post hanc praeviam victoriae laudem interponit statim magnificum locum de Aeaci filiis Iovis Hellenii aram adstantibus, nuntiatum ipsa Aeacidarum mentione in prooemio. Sed quid significet fabula, quaerimus; suspensi vero tenemur aliquamdiu, quum quasi per continuationem narrationis etiam de infortunio eorum dicatur et de Pelei felicitate post sequuta. Tum demum ad principium reversus, et Phylacidae consilium Isthmia adeundi tecte indicans, diserta vero laude Pytheae victorias memorans et cognatorum, quorum vestigia presserit puer, sic exhibet omnia, quibus gymnica fratrum laus et comparatio cum Aeaci filiis initio posita nititur. Simul hoc perspecto clarum, quid adiecta exempla discordiae et verecundiae sibi velint, quorum nulla praeterea explicatio additur. — Isthm. VII. in prooemio se accingit ad Cleandri victoris laudem, ex nuperis terroribus belli iterum iterumque se revocans ad Aeginam canendam. Ultimum statim facit, Aeginae progeniem Aeacum et Aeacidas celebrans fabulis, tum per Nicoclis laudem, quem imitatus sit Cleander, ad hunc ipsum redit et absolvit ludicram laudem initio inceptam. Positas etiam hic fabulas proxime post prooemium vides. Et prior quidem earum pars e prooemio lucem trahit, commoverat enim animos Aeginetarum, quum vellet eos pacificatores esse, altera Nicoclis et Cleandri rebus accommodatur. — Ol. II. in prooemio virtutes Theronis laudantur diciturque rex decus gentis, multa quae passa olim nunc floreat. Ex his duabus rebus aptum carmen. Ac primum quidem monstrata vicissitudo adversarum et secundarum

rerum tractatur et explicatur ex ipsis originibus, una cum Theronis sorte, eiusdem vicissitudinis exemplo, deinde directa oratione ad virtutes viri redit, unde orsus erat. Ac felicitas quidem Theronis digna virtutibus in prooemio monstratis nunc post ingentem laudem liberalitatis et benignitatis magis etiam merita videtur, simul vero etiam, quantum satis est, illud docemur, adversarum rerum mythicae expositiones quo pertineant. Sic absolutus cursus carminis. — Sed his explicatis tertium denique subiicio genus eiusdem descriptionis, ubi tam indefinita est in prooemio praeparatio, ut alia definitior nuntiatio proxime post prooemium ponatur in ipsis tractationis initiis. Ol. VII. prooemium, quod de poesi est victores ludorum exhilarante famamque bonam parante, praeparat laudem et defensionem Diagorae carmini subiectas, sed indefinitius; quare propior nuntiatio rerum nunc post prooemium legitur, ubi ipsam tractationem laudis orditur. Venisse se cum Diagora ait simul Rhodi laudem ferentem, ut sic ornet virum, quem nunc cum patre praedicat. Iamque finita praevia laude familiae ad ipsas fabulas Rhodias transit, quibus expositis ad Diagorae laudes pertractandas redit, simul fabulas explicans, quibus, quum laus et defensio Diagorae agatur, nunc directa oratione et fortitudinem praedicat et ab insolentia et violentia alienum animum. Denique addo Nem. XI. In prooemio invocatur Vesta, ut novum prytania Aristagoram benigne recipiat detque nullo dolore contristatum magistratus cursum. His verbis definitior praeparatio nondum inest. Ipsa initia post prooemium habentur, ubi praemissa brevi laude patris (welches vorgeschlagen) cum laude ludicra modestiae admonitionem ponit. Haec est vera nuntiatio carminis, quod fortitudinem laudat, modestiam vero commendat. Et ad admonitiones quidem in fine redit, interposita fortitudinis laude. Est vero interpositus locus hic maxima ex parte non mythicus, plane ut Nem. VI. Interpositio vero laudis optima, quia causas hic locus continet admonitionum sequentium. Quum enim Aristagoras vir fortis esset, metui poterat, ne maiora affectaret. Postremo de prooemio ita statue, Vestam sic daturam felicem cursum, si pius et modestus sit. Atque haec quidem de prima forma.

Pergo ad aliam similem, ubi una pars in tres divisa habetur locos, interpositis aliis, hoc modo: a b a c a. Sic intelligendum



primum carmen Isthm. I. In prooemio laus Thebarum ludicra et

bellica praedicatur; cursus carminis e ludicris Herodoti rebus pendet, quum bellica tecte tractentur. Iamque accingens se post prooemium ad Herodoti curulem victoriam celebrandam primum Castoreum canit, tum reversus ad victorem ipsum et Isthmum Onchestumque nominans, nihilominus non pergit, sed primum alium locum de patris fortuna interponit, tum vero per sententias generales tertium ad Herodotum rediens victorias eius enumerat plurimas, simul et Castoreum sic explicans, cur ei debeatur et de patris praeclara fortuna ex calamitate restituta cur dixerit; est enim fundamentum fortunae in filio conspicuae. Denique bellicae res in Castoreo simul tractantur aliisque in locis admixtae ceteris. — Isthm. VI. in prooemio poeta consilium prodit patriam deam Thebam exhilarandi. Quare mythicis decoribus ibi memoratis, post prooemium ad Strepsiadae victoriam laudandam venit, et interposito loco de proelio gravissimo ante facto, unde simul exhilarationis consilium explicatur, laetius etiam redit ad hanc victoriam, denique post novam admonitionum interpositionem tertium ad ludicras res rediens pro futura quam agitabat Strepsiades victoria vota facit, indicans sic etiam causam admonitionum antecedentium. Quemadmodum igitur prior locus interpositus prooemium explicat, sic secundus exitu carminis explicatur, bisque adhibuit poeta artificium positionis rei per sequentia explicandae. — Isthm. III. in prooemio laude dignum dicit, qui certaminum gloria aut divitiis ornatus simul a superbia alienus sit; esse vero talem fortunam etiam diuturniorem. Vides hic indefinitam praeparationem, quales supra notavi. Quare proxime post prooemium propius ad ludicras res accedens definitius describit carmen sic, ut duas Melissi victorias canendas indicet; et priorem quidem curulem statim illustrat, inde vero ante omnia interponit locum de gentis laudibus et fatis, praeparatum altera prooemii parte, et post hunc demum ad Melissum reversus, huius continuat ludicram laudem, alteram victoriam celebrans praeclaramque artem pancratiasticam. Hic locus nuntiatus supra pendet simul suaviter ex antecedente interposito per consequutionem effectus; nam propter virtutes genti haec victoria data. Credas nunc finitum carmen; sed mox novum locum mythicum de Hercule subiicit, ex quo tertium ad Melissum reversus etiam priores viri pancratiasticas victorias tractat. Quae res sic intelligenda est, postremo etiam causam et rationem reddi virtutis ludicrae et dexteritatis pancratiasticae magnae supra lau-

datae. Exercuit se in Herculis liberorum ludis, qui ei eximie favit tres victorias donans, habuitque magistrum praeclarum. Hinc illa ars. Igitur secundus de Melisso locus ponit quod explicatione egeat, quam praestat tertius. Atque haec quidem de his. Similia sunt alia duo carmina, nisi quod in his etiam interpositi loci sibi respondent hoc modo: a b a b a. Primum est



Pyth. VIII. In prooemio pacis et belli deam celebrans Hesychiam thema ponit sic, ut orsus a ludicra Aristomenis victoria in fine etiam redeat ad eam. Hinc regitur cursus carminis. Nam post initia laudis ludicrae in prooemio posita primum locum de Aeacidis interponit, tum ad Aristomenis res ludicras reversus mox denuo aliam fabulam interponit, qua tractata tertium ad victorem rediens nunc demum laudes eius uberrime pertractat, ductis e laude successuum simul modestiae admonitionibus. Simul vero etiam interpositi duo loci mythici sibi respondent, uterque cum ludicra victoris laude bellicas maxime res tractans in prooemii altera parte praemonstratas. Similis ratio Nem. IX. In prooemio Musae invitantur, ut Sicyone ad domum hospitalem Chromii tendant statimque nunc hymnum parent, quum Chromii victorialem currum conscendens carmen postulet certaminis Sicyonii diis. Iamque orsus, ut moris, a victoria, quam rite laudandam dicit, statim ad mythica pergit, quasi certaminis Sicyonii origines laudesque ante omnia tractaturus in honorem deorum praesidum, et Adrasti secundas adversasque res narrat, post quae per preces pro urbe Aetna ad ludicras res reversus statim alium subiicit locum de bellica laude Chromii totaque eius felicitate, respondentem fabulis, atque inde demum tertium ad ludicras res rediens nunc, finita interim pompa, ampliora de iis post pompam in domo viri canenda promittit, simul sic initium explicans, ubi Musae in domum Chromii invitatae erant. Fecerat enim Encomium aut Scolium, quo quum ludicras laudes data opera tractasset, nunc callide magis tangit eas, quam explicat, summo consilio carminis in interiectis locis posito. Vides pulcherrimam artem poetae.

Tertium accedimus ad eam formam, quae orbium duorum alterum altero inclusum habet sic: a b c b a. Tale est carmen



Nem. IV. In prooemio iucunda per carmina recreatio laborum victoris gravium promittitur e mente prompta profunda. Est haec

indefinitior praeparatio, quare statim post prooemium propiorem nuntiationem rerum ponit, Iovi Nemeaeque et Timasarchi luctae consecrans carmen ab Aeacidarum urbe benigne recipiendum, h. e. Timasarchi directam laudem et fabulas Aeacidarum in Iovis Nemeaei honorem nuntians. Iamque orsus a pueri victoriis laudandis, mox ad mythica ornamenta accedit, sed paulo post haec abrumpit et interponit refutationem reprehensorum suorum, tum reversus ad Aeacidarum laudes, has alio modo continuat et absolvit. Postremo ad ludicras res redit gentisque laude proposita Timasarchi virtutem ad fundamenta sua revocat, et alterum sic conficit orbem. Simul exitus etiam magnificum de Aeacidarum gente locum explicat, qui solus explicatione egebat. Denique posita in medio carmine refutatio adversariorum, ut par, in antecedentibus nuntiata non erat; dixi enim interpositos locos non ubique praeparatione egere. Sed veniamus ad aliud carmen. Ol. IX. in prooemio nuntiat magnifica laude Epharmostum se cantaturum et urbem patriam, cuius laus victoris laudi ibi inservire debet. Et haec praeparatio. Simul vero nunc etiam tractationis initia in prooemio sunt. Iamque primum urbis laudem continuaturus, mox per aberrationis simulationem interponit fabulam de Hercule, tum reversus ad urbem, huius mythicas laudes pertractat. Postremo ad Epharmostum redit directa oratione, etiam alterum orbem absolvens. De fabularum dispositione observabit lector, praemissum quod summum, Herculis dico facinus, ut maxima excitetur exspectatio, deinde quasi pro prima explicatione de domestica virtute Locrensium ipsiusque Epharmosti praeclara origine dici, postremo directa oratione ipsam eius vim divinitus insitam victoriis plurimis conspicuam ob oculos poni. Pergo ad Pyth. X. In prooemio ibi magnifico et maxime lyrico artificio per aberrationis simulationem praemittuntur (werden vorgeschlagen) magnifica verba de Heraclidarum potentia, quibus in sequentibus commodior locus non erat, tum praeparatio carminis ponitur sic: at Pytho et Pelinna me vocant (h. e. Pythia victoria Hippocleae canenda Pelinnae), et Aleuadae. Iamque post prooemium primum victoriam pueri laudat, etiam paterna virtute eam illustrans, tum fabulam de Hyperboreis interponit pulcherrime toto antecedente loco praeparatam, ex qua ad comissationem praesentem revertitur et hanc partem absolvit. Postremo etiam Aleuadarum initio promissam laudem tractat peragitque sic secundum orbem. Nam secundi orbis initia si in prooemio sunt, paucis ibi verbis indicari

satis est. Denique de carmine Ol. VI. dicendum. In prooemio triplex ponitur Agesiae laus; est Olympionices, est vates, est ex illustrissimis civibus Syracusarum. Post prooemium primum ludicram virtutem viri laudare orditur, ex bellica laude eam illustrans, tum interponit mythicum locum de vaticinandi arte, post quem reversus ad victoriae Olympicae laudem primum orbem absolvit. Restat tertium in prooemio nuntiatum. Sed quum etiam de Hymno et Scolio dicere vellet, a se factis moxque canendis, suaviter hunc locum praemittit (vorschlagend), tum demum ad Syracusarum laudem venit atque ita etiam ultimum peragit orbem. Est igitur descriptio carminis haec: a b c b d a. Diximus de περιπλοκῆς formis.

Pergimus ad alterum genus implicationis supra indicatum, cuius haec forma: a b a b. Primum considerabimus carmen Ol. XIII. In prooemio cum victoris domo urbs laudanda suscipitur. Iamque primum urbis laudes directa oratione explicat, duas eius virtutes primarias proponens, deinde ad familiam victricem pergit, tum ad urbis laudem reversus fabulas ponit, postremo futuram Xenophontis victoriam tractat excitato gentis genio per laudem gentis illustrissimam. Ac docui in Commentario ultimam partem, eximie praeparatam Bellerophontis fabula, simul inde pendere et hanc explicare. — Pyth. I. in principio est locus de musices praeclara vi in Olympo, quem sequitur contrarius de Typhoeo, tertium Hieronis laudes ponit principio respondentes, postremo admonitiones cum loco de Typhoeo componendas. Praeparationes quod attinet, nunc ipsae fabulae praeparant sequentia, utpote explicationem directam desiderantes. — Pyth. II. in principio cum bellica laude ludicra victoria Hieronis tractatur, quem locum sequitur mythicus de Ixione gravissimus, admonitiones continens, praeparatus per oppositionem antecedente laude felicitatis et favoris deorum, posita ad pietatem gratumque adversus deos animum commendandum. Exin ad laudes revertitur, et in fine etiam admonitiones novas subiicit, propter mythicum locum positas. — Pyth. IX. in prooemio postquam nuntiavit Telesicratis cursoris Cyrenaici laudem, quem statim paucis praeviis verbis ornat etiam, interponit fabulam de Cyrena, tum ad initium reversus absolvit primam partem, ludicras victorias viri uberrime exponens. In fine novam fabulam subiicit de Alexidamo proavo cursore, qui

quum honestissimo certamine coniugium pulcherrimum sibi paraverit, haec res Telesicrati augurium est similis felicitatis honesto modo parandae. Sic haec fabula opposita est antecedenti de Cyrena eiusque consilium explicat, ceterum suaviter etiam gymnicam laudem continens. — Nem. VIII. praemissis amoris laudibus per supplicationem Aeaci ad Dinidis ludicram victoriam patrisque venit, quam rem absolvit in fine, interiecto alio loco mythico de invidia. Atque ut ludicrae laudes in medio carmine et in fine sibi respondent, sic mythici de amore et de invidia loci per oppositionem componendi sunt, ut in Commentario docui. Attende denique ad aliud artificium. Praeparatio legitima carminis est ibi demum, ubi victoria ludicra Dinidis primum memoratur; priora ante praeparationem collocata sunt (vorgeschlagen). Mox locus de invidia utpote interpositus disertiore praeparatione non egebat necessario, nunc autem suaviter ipsa oppositione amoris praeparatus est, et hanc explicat. — Postremo carmen Pyth. IV. commemorandum est hoc loco. In prooemio maius carmen promittitur diis Delphicis, qui praeter coronam recens datam Arcesilao olim auctorem gentis Battum oraculo in Libyam miserint, ut ratum fieret Medeae vaticinium. Sic primum hoc quale fuerit explicat; praedixerat Medea reges futuros Libyae Euphemidas in ipso reditu Argonautarum in Lemno lucem visuros. Qua re narrata poeta ad initium redit et primum orbem absolvit. Sed illud Medeae vaticinium primae parti insertum praeparat sequentem partem; narratio de expeditione Argonautarum nectitur ex illis verbis videmusque in fine eius revera satos in Lemno Euphemidas. Neque tamen hic finis carminis; proposita erat in illa narratione Iasonis descriptio, quae quo spectet restat ut explicetur. Atque hoc fit in exitu directa oratione. Sic tertius rerum orbis absolvitur. Schema igitur hoc est: a b a c b c. Ac quum se-



cundum temporum rationem inverso ordine dicendum fuisset, vides, quomodo poetica forma differat a vulgari. Haec quidem de hoc genere. Explicuimus usitatiores formas omnes.

Restat, ut peculiares aliquot formas indicem ex simplicioribus compositas. Prima haec est: a b c a b. Nem. III. in prooemio



Musa excitatur, ut praesente Nemeaeo festo in Aeginam tendat, ubi carmen exspectetur victoriae ludicrae ornamentum. Ac primum a Iovis laude orditur, praeparata et nuntiata per mentionem

sacri Nemeaei festi, tractanda vero per Aeacidarum fabulas, quorum pater Iuppiter. Sed antequam pergat, de Aristoclida victore dicit, ut solet quam primum post prooemium victorum laus poni, subiicitque etiam locum de Hercule; tum demum in viam rediens per Aeacidarum laudes Iovis laudem absolvit. Restat, ut Aristoclidae laus supra incepta ad finem perducatur, atque hoc in exitu fit, ubi simul fabulae praemissae pulcherrime explicantur. Ac quum supra in Aristoclidae laude etiam Musae opem memorasset, nunc videmus eam esse, a qua nomen habeat Aristoclides. Haec hactenus. Alterum exemplum eiusdem formae est Isthm. V. In prooemio unum craterem dicens se ante miscuisse Lamponis filiis, alterum se nunc miscere, tertium optans ut olim miscere liceat Olympio Iovi, sic reportatas filiorum victorias augurium significat esse maioris futurae. Atque haec summa felicitas ut contingat Lamponi patri, ipsas Parcas precatur in altera prooemii parte. Exin interponitur mythicus locus de Aeacidis, post quem ad prooemium reversus primum victorias filiorum ipsas cum aliis pluribus data opera enumerat, docens quod in fabulis praemissis inest, fortitudinem tantam esse, ut maxima quaeque inde sperare liceat, deinde Lamponis quoque patris meritis et virtutibus tractatis, dignum esse virum ostendit etiam summa felicitate supra a diis ei expetita. Sic hic locus alteri prooemii parti respondet.

Accedo ad carmen Ol. XI., quod hanc descriptionem sequitur: a b c b a b. In prooemio post excusationem, quod non



prius cecinerit, accingit se ad communem pluribus quam debeat laudem. His verbis praeparatur carmen. Iam enim primum urbem laudat iustissimam, in qua Mars regnet et Calliope (quae verba suaviter praemonstrant sententiam carminis), deinde Agesidami victoris certamen praedicat, tertium ad Olympiorum institutionem canendam pergit, in qua fabula quum duo tractentur, res gestae et epinicia rerum gestarum comissationesque, reversus post fabulam ad Agesidami res, etiam hic duos locos facit, carminum epiniciorum necessitatem explicans et res gestas formosi pueri denuo commemorans, interposita etiam urbis repetita mentione. Sic nascitur schema indicatum.

Pergo ad carmina Pyth. III. et Nem. VII., quorum haec dispositio est: a b c a d c. Atque in carmine Pyth. III. poeta ait:



Si possem tibi, o Hiero, filia quum in vitam restitui nequeat,

valetudinis saltem medicum divinum impetrare. et tunc cum hymno epinicio ad te venirem, lux sole illustrior accederem; nunc autem, quum dii non dent duo bona, sed uno cum bono bina mala, etiam sic bono, quod habes, uno quam possis optime usus comissationi indulge, et carmina poetarum quaere immortalitatem tibi parantia. Hinc patet cursus carminis. Orditur a Chironis laude et a valetudinis ratione, mox interponit fabulam de Coronide, postremo redit ad initium et primae sententiae cursum absolvit. Neque vero nunc secundum annectit orbem rerum, quae intolerabilis ratio esset, sed in fine antecedentis loci, antequam eum absolvat, initia novi orbis ponit, comissationem epiniciam commemorans, ad quam rem in exitu ampliore sententia redit, tanquam ad ultimum finem carminis, praemisso eximio loco de summa lege vitae humanae, qui ut sequi debebat priorem carminis partem, ita praecedere exitum. Sed magnificentissimum exemplum eiusdem descriptionis carmen Nem. VII. est. Quum Thearionis familia invidia laboraret, thema difficillimi carminis est, ut vidimus, de virtute vera, laudis et honoris praemio indelebili ornata. Hoc orditur in prooemio, robur Sogenis celebrans ab Ilithyia insitum, et poesin ostendens speculum esse et compensationem rerum gestarum optimam. Sed non absolvit rem; transit ad Ulyssem immerito laudatum et ad Aiacem Neoptolemumque iniuriam passos, at aeterno honore florentes. Quae res interpositae quid sibi volunt? Exspectamus, quaerimus explicationem. Nec frustra; redit poeta directa oratione ad initium, pertractat locum de victoria Sogenis rite reportata et de poesi, videmusque eximium laudis praemium propter res egregie gestas nunc etiam Sogeni a Musa destinatum, quemadmodum Aiax et Neoptolemus, fortissimi heroes, aeternum honorem habent. Hactenus bene; tamen cur iniuriam passos heroes comparat? Quia etiam Thearionis familia invidia laborat. Ecce etiam hoc significaturus poeta ante repetitas Sogenis laudes praemittit alium locum, ubi data opera Thearionem praedicat et tangens pravum obtrectandi studium, a sese plane alienum affirmat esse pravum consilium veras laudes invidiose calumniandi. Atque ita res eo adducta est, ut heroum illorum comparationem intelligamus, et de Sogene cur sic dicat. Putes nunc finitum carmen, sed restat alia quaestio. Cur dicens de Thearionis rebus tam graviter, tanta cum vi sese defendit, sese alienum contendit a calumniandi consilio? Inest igitur in illis verbis aliud nondum explicatum. Ecce etiam hoc poeta indicat. Postquam laudibus

Sogenis alium locum subiecit prope necessarium, ubi preces facit pro incolumitate familiae in his inimicitiis aptissimas, postremo ad se ipsum redit in fine; videmus nunc creditum impie de Neoptolemo Pindarum dixisse. Sic igitur et illa defensio supra posita clara est, et illud simul liquet, cur praeter Aiacem Neoptolemi maxime exemplum supra adduxerit, vulgo in Aegineticis rebus afferri non solitum. Atque ita pulcherrime omnia expedita sunt. Disertius de difficillimo carmine dicendum iudicavi, ut explicationem in Commentario positam etiam sic firmarem et Pindari perfectissimam artem denuo luculenter ob oculos ponerem.

Claudat agmen carmen Nem. I., cuius pulcra descriptio haec est: a b c d c d a. In prooemio victoriam Chromii ludicram



praemium virtutum insignium dicit a diis datum. Post haec primum interponit locum de laudibus Siciliae, deinde ad virtutes ipsas explicandas accedit; laudat vero prudentiam et fortitudinem, ita nexa utriusque virtutis tractatione, ut in priore loco v. 31. initia habeantur secundi. Atque hoc ita necessario factum; quum enim secundus non sit causa prioris, aliter necti non poterat recte. Denique laudata fortitudine Herculis, Tiresias in fine etiam praemium laborum ostendit requiem et felicitatem pulcherrimam, quibus verbis poeta ad initium redit et ultimum orbem conficit. Atque haec hactenus. Perlustrata sunt omnia carmina, et poterit lector nunc ipse iudicare de arte Pindari. Neque vero de industria artificiosiores dispositiones quaesivi, sed potius, ubi possem, simpliciores praetuli, quod intelliget qui singula examinaverit. Modo simul ad praeparationes ubique attendat, et quum Epinicia sint, ludicra laude teneat ut plurimum regi rerum cursum.

Docui in antecedentibus qualem ipse intelligam rationem artemque carminum Pindaricorum et alios quid tenere debere credam, ut penitus poetam intelligant; nec vereor, ne futuri sint qui talia aliena credant ab interpretis officio, aut aestheticis, quos dicunt, libris reservata velint; si tamen sint, hos recordari velim, quid accuratior hermeneutica postulet. Hermeneutica vulgo enarratio dicitur scriptorum; sed enarrare non potes, antequam intellexeris; unde recte Boeckhius in Dissertatione de Crisi Pindarica notavit intelligendi artem esse hermeneuticam dicendam. Haec vero res multa negotia habet, ut rite perficiatur. Primum

singulos locos legimus alterum post alterum; examinamus et verba cuiusque loci constructionesque, et res historicas, si quae insunt, coniunctisque singulis omnibus sententiam colligimus universam. Quemadmodum vero sententia loci perspici nequit nisi singulis verbis rebusque intellectis, sic etiam haec non dicere possis penitus a te perspecta nisi tota sententia cognita; unde fit, ut in difficilioribus locis, antequam absolvas negotium, saepius a verbis rebusque singulis ad totam loci sententiam, ab hac ad singula mente redire debeas, donec comparatis omnibus alterum ex altero uteunque definitum habeas. Saepe vero ne hoc quidem perfici potest, antequam sequentia consulueris, sed ut perfeceris satis bene, quum tamen ubique singulus quisque locus cum aliis cohaereat, etiam sic mox sentis ampliorem aliam tibi sententiam quaerendam, pluribus locis coniunctis quae subsit communis; qua inventa et collecta e singulorum locorum comparatione, denuo redis ad haec, examinas denuo omnia, nec raro animadvertis quae nunc aliter constitui debeant quam feceras, antequam totam compagem perspexisses. Iamque res eo adducta, ut partem carminis, caput libri intelligere tibi videaris. Pergis igitur longius; addis partem parti, caput capiti simili lectionis modo, donec perlectis omnibus postremo etiam de summa sententia tibi cogitandum sentias, qua partes orationis, dialogi, carminis contineantur. Est enim omnis omnino classici operis ratio haec, ut totum ponatur ubique, ut et singulus quisque locus, singula quaeque pars unitate placeat, et aliud maius vinculum adsit omnes partes complectens, ac quod olim Fr. Aug. Wolfius *) dixit, sero Graecos didicisse totum ponere in poesi, hodie constat falsissimum esse, quum nihil magis a principio sequuti sint in artium operibus et scriptis, nec fuerit gens ingeniosiores quae excogitaverit compositiones. Sic etiam in Pindari carminibus quod olim non videbatur inesse, hodie certum est non abesse ab ullo carmine. Sed haec res non ubique facilis perspectu usum etiam diuturniorem requirit. Atque apud Pindarum quidem quum duplex sit argumentum fere, directum et mythicum, primum ad directae orationis sensum attende quam accuratissime, quis victor sit, quae victoria, quid laudet maxime poeta, felicitatem an virtutem, quodque genus virtutis, quid reprehendat et desideret. Deinde fabulam examina et confer

*) [Prolegg. in Homer. p. 125. Sed vide Bernhardy Hist. Litt. Graec. I. p. 111. SCH.]

mythicam tractationis partem cum directa, nunc ad hanc nunc ad illam rediens, donec communem sententiam tenere tibi videaris, quae ambabus optime conveniat. Sed interdum etiam mythica clariora sunt, ut ab his initium facere debeas quaestionis. Sic Ol. VII. postquam persuasum mihi erat fabulis Rhodi fatum aeternum e decoribus et erroribus mixtum declarari, facile intellexi propter Diagoram haec dici sensique tum etiam in directa oratione cum laude defensionem positam, laudari fortitudinem, negari superbiam et violentiam in eo esse. Similiter Pyth. I. qui directam laudem Hieronis legerit, quum partes loci fere aliam quaeque speciem habeant, non statim invenerit quod commune omnibus subsit; ubi vero in principio mythico vim citharae Apollineae laudari viderit senseritque, quantopere placeat coniunctus cum maiestate regia Iovis et Martis bellica ferocia musices sensus, mox etiam in Hieronis laude, quum quatuor loci sint, binos intelliget coniungi debere. Qua re semel perspecta facile est cetera conciliare. Quod enim in mythica parte musices vis maxime extollitur, necessario factum apparet tractationis poeticae causa, ut saepius, ubi duae res paris dignitatis componuntur, alterutrum poesios ratio magis extolli iubet, utpote praeferentis quod ornatum maiorem admittat vel alia de causa aptius sit. Similiter Nem. VI., ubi similitudo et dissimilitudo hominum et deorum in prooemio docetur, gravius de dissimilitudine dicitur postulante religionis ratione. Sed in talibus prudenter curare solet Pindarus, ne fallaris, si respondentem locum compares. Nam Pyth. I. in Hieronis laude contra proelia luculentius laudantur, quemadmodum Nem. VI. in media parte praestantia Bassidarum singularis, ut compensatum videas altero alterum, summaque sententia pariter proponi cognoscas utrumque. Patet ex his exemplis, quomodo comparatione partium eliciatur et definiatur summa sententia, nec nisi omnibus satis bene conciliatis dici posse perspectam poetae mentem. Quum igitur sensum et rationem carminum aliorumque operum nisi summa sententia patefacta assequi recte non liceat, eos vides magnopere errare, qui in explicatione veterum aut negligenter aut omnino non curant hanc quaestionem, contenti, si transitus explicuerint ab uno loco ad alterum. Profecto non per associationem idearum, quae dicitur, exsistere potest classicum opus, ut sunt qui opinari videntur, sed invento demum themate et fundamento elocutio locum habet, nec dubium Pindarum, antequam illud invenisset, ne verbum quidem scribere potuisse, adeo constanter per totum carmen obversari

ei vidisti conceptam ante descriptionem. Verum in viam ut redeam, peractis omnibus quae indicavi negotiis absolutum credas interpretis munus; quid enim desiderari amplius potest, ubi inferiori et altiori quae vulgo dicitur hermeneuticae pro viribus satisfacere studuerit? Profecto nihil praeterea ab eo postulabo, si modo revera totum problema solvere potuit. At enim quis non videt etiam ceterorum carminum comparationem accedere debere, ut vel unum rite explices? Non loquor de solo orationis usu, quem constat nonnisi diligenti omnium carminum lectione cognosci, sed etiam de reliqua explicatione. Primum enim sententiam carminis Epinicii erraverit qui, perlecto eo, credat continuo recte se definiturum, nisi plurium carminum comparatione didicerit, quales ponere hic soleat Pindarus sententias, quales non ponat. Ego certe quum primum in Pindarum commentarer, multorum carminum sententiam et compositionem non assequutus sum recte, quod formam et rationem horum carminum universam nondum satis perspectam habebam. Similiter quod hodie de tragoediarum et comoediarum sententiis summis disputare coeptum est ut magnopere laetor, non tamen confidam his disputationibus, antequam comparatis omnibus eiusdem poetae dramatis qualis fuerit cuiusque ratio penitus perspecta sit, veluti Welckerus de Aeschyli arte eximie disputare coepit. Apud Pindarum autem ne de carminum universo sensu tantum loquar, etiam fabularum explicatio adiuvatur magnopere et confirmatur usu poetae cognito, imprimis ubi historicarum rerum cognitio deest. Sic Nem. X. quo fabula de Dioscuris spectet non traditum est in Scholiis nec patet aperte e ceteris poetae verbis; tamen non dubito amoris fraterni laudem inesse, cuius exemplum summum erant Tyndaridae, quemadmodum saepissime apud Pindarum cum ἀνδρίᾳ aliam virtutem coniunctam vidimus. Nec Nem. V. fabula de Peleo nunc tibi obscura potest esse, si ex superioribus memineris etiam σωφροσύνης admonitionem cum ἀνδρίας laude apte coniungi. Pyth. IX. fabulam de Cyrena primo adspectu credas propter solam urbis laudem positam, uti etiam creditum est ante; ubi vero omnium carminum comparatione didiceris etiam quae urbis causa proposita videantur ad victorem simul pertinere, videasque deinde in tota narratione amoris castitatem et pudicitiam tractari, non dubius ad Telesicratem referas omnia, ut aliis in carminibus cum laude virtutis admonitio est coniuncta. Non opus est pluribus; vides, quid dicam. Hoc ago, ut non perfici posse horum carminum explicationem ostendam,

*****

nisi etiam altius assurgat hermeneutica et examinata universa poetae ratione leges summas exploret et explicet, ad quas totum hoc genus Epiniciorum conformatum est. Quae quidem leges ut inveniri non possunt, nisi singulorum carminum explicatio accuratior antecesserit, ita inventae plurimum conferunt ad hanc emendandam et firmandam, ut iterum eundem orbem videamus, quem in toto interpretandi negotio observavimus. Hac vero sola via ad summum finem tenditur; intramus in ipsam officinam poetae et secreta artis divinae spectamus, quae tot magnifica carmina finxit. Haec ego mecum reputans, ne summo officio interpretis plane defuisse viderer, Dissertationem supra lectam tentavi, posthac ab aliis novis curis augendam. Poetica veterum perfectissima fuit, cuius leges quales fuerint explorare omni studio debemus, ac si plures viri docti ad interpretandi studium se contulerint et hanc artem, ut decet, coluerint, non dubito multa in poetis patefactum iri, de quibus hodie nemo cogitat. Nam ab interpretatione diligenti omnia proficisci debent; haec est propria philologorum ars, philosophandi scientiam quum etiam alii habeant, quemadmodum etiam nos ad ipsam Pindari interpretationem revocavimus omnia, quae diximus.

F. G. SCHNEIDEWINI

DE

VITA ET SCRIPTIS PINDARI

BREVIS DISPUTATIO.

Quinque numero supersunt vitae Pindari graece conscriptae. Earum vitarum prima est a Thoma Magistro Scholiis ab ipso conformatis praeposita; altera apud Suidam exstat; tertiam, quam Vitam metricam appellare consuevimus, versibus heroicis comprehensam XXXI., ex editione Romana acceperunt posteriores; nuper ex Eustathio intellectum est iam a veteribus enarratoribus appositam fuisse. Ego aetate priorum imperatorum Romanorum consutam censeo. Sequitur quarto loco Vita Vratislaviensis a C. G. Schneidero Nicandri Theriacc. p. XV seq., post ab A. Boeckhio cum tribus prioribus edita ante Scholia. Illis nuper demum accessit vita, quae fuit ab Eustathio praemissa commentariis suis Pindaricis, qui periere, praeter prooemium quidem; quod protractum ex codice Basileensi a Th. L. F. Tafelio in Opusculis Eustathii Francof. ad Moen. 1832. mox repetitum est mea cura Gottingae 1837.

Ex his vitis Vratislaviensi et Eustathianae maxima similitudo est, sed ut Eustathius et copia rerum et orationis integritate universe vincat alteram. Quanquam etiam Vratislaviensis sua sibi habet bona, ut fit, ubi diversi eundem fontem adierunt. Neque reliquae, licet tenuitate sua cum illis non comparandae, laudibus suis carent. Alia aliud habet, quo utare cum fructu. Universe aestimanti perpauca de vita rebusque Pindari cognita sunt aliunde quam ex carminibus ipsius ducta et in fabularem speciem compta.

Si fontes vitarum, quae exstant, scrutare, pleraque ex vetustioribus carminum Pindaricorum enarratoribus fluxerunt, velut

Eustathius §. 25. p. 14. *παλαιοὺς* suos vitam poetae scripsisse ait *κατά τε Πλούταρχον καὶ ἑτέρους*. His proluserant historiae literariae conditores, docti homines, qui e disciplina Aristotelis profecti vitas vetustorum poetarum illustrare primi conarentur. Praeter lapidum et domesticorum monumentorum testimonia ipsa carmina poetarum fontes primarii fuerunt, ex quibus quae ad ipsos poetas spectare viderentur vel scite elicuerunt vel per vim temere extorserunt. Illorum disputationes auctae postea et emendatae sunt ab literatis Alexandrinis, qui ditissimae bibliothecae copiis assidentes studia sua ad corrigendos explanandosque scriptores veteres applicabant nec de vita rebusque eorum omittebant quaerere.

Sed eorum omnium et aetate et auctoritate princeps est Chamaeleon Heracleota, Peripateticus, Theophrasti aequalis, qui *περὶ Πινδάρου* librum ediderat, cuius ubertatem libri ex Athenaei memoria XIII, 573. C. facile aestimamus; vide ad Scolior. fr. 1. Eundem Eustathius p. 19. in testimonium vocat. Ex Alexandrinis commemorandus Ister est, de praeceptore, cuius exemplum sequeretur, Callimachii cognomen nactus. Cuius auctoritatem cum Chamaeleonte coniungit Eustathius l. c. Sed peculiare scriptum de Pindaro non videtur confecisse: igitur Praef. Eustath. p. VII. illam memoriam ad librum Istri, cui *Μελοποιῶν* titulum indiderat, referri debere conieci. Vide quae ex illo servata sunt apud Siebelin p. 73 seqq. et Historicor. Vett. Fragment. a C. Muellero Parisiis nuper edita p. 425. coll. Clinton. Fast. Hell. III. p. 569. Verum editor Parisinus quo iure *Μελοποιοὺς* ad Istrum potius Callatianum, quem *περὶ τραγῳδίας καλὸν βιβλίον* scripsisse Stephanus Byz. s. v. *Κάλλατις* testis est, voluerit referre, ipse viderit. Immo si quod aliud, hoc profecto scriptum Callimachi aemulum decet.

Horum doctorum libris et si qui fuerunt praeter hos usus est Plutarchus Chaeronensis, civis Pindari, ex cuius commentario de vita Daiphanti et Pindari [1]) pleraque ad

---

[1]) Fallitur Boeckhius fefellitque alios, quum et Scholior. p. 6. et Prooem. Expll. p. 13. Plutarchei libelli indicem hunc fuisse ponit: *περὶ τοῦ Κράτητος βίου καὶ Δαϊφάντου καὶ Πινδάρου*. Titulus fuit *Βίος Δαϊφάντου καὶ Πινδάρου*. Colligo ex Photii bibliothecae cap. CLXI. p. 177. Hoeschel., p. 104, b, 3 Bekker., qui inter alia, quae Sopater Sophista in opere *ἐκλογῶν διαφόρων* excerpserat, vidit sumpta *καὶ ἐκ τοῦ Κράτητος βίου Δαϊφάντου τε καὶ Πινδάρου* Plutarchi. Sic enim ex praestantissimo codice Bessarioneo edidit

posteriores epitomatores esse transmissa indiciis haud dubiis perspicitur. Nam libri priorum ipsi paulatim in oblivionem abierant. Vide quae disputavi Praef. Eust. p. VIII seq. coll. Prellero ad Polemon. p. 68.

Recentiore aetate praeter alios in vitam poetae accuratius inquisivit C. G. Schneiderus, iuvenili quidem libello, sed acumine et elegantis doctrinae laude, ut tum erant tempora, commendato: Versuch über Pindars Leben und Schriften. Von Joh. Gottl. Schneider. Strasburg 1774. Postea A. Boeckhius Praef. Expll. p. 12 seqq. maxime de temporibus Pindari disseruit, cui disputationi nonnulla de vita poetae admiscuit. Ex historiae poesis Graecae scriptoribus recentissimis C. O. Muellerus dignissimus est, cuius perelegans de Pindaro narratio consulatur; vide Histor. litt. Graecar. T. I. p. 391 seqq.

Pindarus Thebanus Thebisne an Cynoscephalis, qui vicus fuit Thebanae ditionis, — a scriptoribus *Κυνὸς κεφαλαί*, a grammaticis prave *Κυνοκέφαλοι* vocatur — lucem aspexerit, non satis distincte tradunt veteres. Accuratius quam alii Eustathius §. 25. p. 14: *Κώμη Θηβαίων οἱ Κυνοκέφαλοι· ἐκ ταύτης οἱ τοῦ σοφοῦ τοῦδε γενέτορες.* Consentit Vita Metr. 1 seqq.:

Πίνδαρον ὑψαγόρην Καδμηΐδος οὔδεϊ Θήβης
Κλειδίκη εὐνηθεῖσα μενεπτολέμῳ Δαϊφάντῳ
Γείνατο, ναιετάουσα Κυνὸς κεφαλῆς παρὰ χώρῳ.

Neque aliorsum abit Thomas p. 4: *Οἱ δὲ Παγωνίδου καὶ*

Bekkerus, cum vulgo *τε* post *Δαϊφάντου* abesset. Nunc quid rei sit planissime apparet. Turbatum est in Catalogo Lampriae apud Hoeschel. (Aug. Vindel. 1598.) et Fabricium Bibl. Graec. T. V. p. 160. Harless., ubi perscriptus est *λδʹ Ἡρακλέους βίος. λεʹ Ἡσιόδου. λϛʹ Πινδάρου. λζʹ Κράτητος καὶ Δαΐφαντος* (codex Fulv. Ursini *Δαϊφάντου*). Paulo aliter catalogus Siebenkeesii Venetus ibid. p. 167 seq.: *Ἡρακλέους. Ἡσιόδου βίος. Κράτητος βίος. Δαΐφαντος.* Pindari prorsus desideratur. Si compares utrumque indicem, facile apparet Lampriam quoque scripsisse: *Κράτητος βίος. Δαϊφάντου καὶ Πινδάρου.* Nam quominus Daiphantum intelligas Phocensem imperatorem cum Fabricio, praeter Photium obstat ipse ordo, qui homines Boeotos et eos literis nobilitatos iuxta positos monstrat. Cratetem audiendum esse Thebanum, Diogenis cynici discipulum, docet Iuliani locus Orat. VI. p. 200: *Ἐνέτυχον τῷ Χαιρωνείῳ Πλουτάρχῳ τὸν Κράτητος ἀναγράψαντι βίον.*

Μυρτοῦς, ἀπὸ κώμης Κυνοσκεφάλων. Contra diserte poetam ipsum ibi natum volunt Steph. Byz. s. v. *Κυνὸς Κεφαλαί· λόφος τῆς Θεσσαλίας. ἦν δὲ καὶ χωρίον* (h. e. *κώμη*) *Θηβῶν, ἀφ' οὗ Πίνδαρος, Δαϊφάντου παῖς, [Βοιώτιος, ἐκ Κυνὸς Κεφαλῶν,] μελῶν ποιητής*, ubi verba uncis inclusa alieno loco posita sunt, et Vratisl. p. 9: *Θηβαῖος ἦν ἐκ Κυνοκεφάλων· κώμη δέ ἐστι Θηβαϊκή.* Quam controversiam ita solvebat Boeckhius, ut, cum in vico illo censerentur parentes, Thebis vel in alio loco Thebanae ditionis habitasse arbitraretur, veluti in Attica civitate Acharnensis vel Salaminius potuit Athenis vel Eleusine habitare. Nobis nihil videtur impedire, quominus vocem veterum, qui parentes vel ibi habitasse vel inde oriundos fuisse narrant, audiamus, poetam ipsum Thebis ortum credamus, quo se parentes contulisse ad concelebranda Pythia, quorum tempore natus est, suspicari licebit.

A testimoniis reliquorum discrepare Moschus creditur Idyll. III, 87 seqq.:

Πᾶσα, Βίων, θρηνεῖ σε κλυτὴ πόλις, ἄστεα πάντα.
Ἄσκρα μὲν γοάει σε πολὺ πλέον Ἡσιόδοιο·
Πίνδαρον οὐ ποθέοντι τόσον Βοιωτίδες Ὗλαι.

Unde sunt qui cum Boeckhio Hylas patriam Pindari a Moscho dici sibi persuaserint, ut praeter ceteros Muellerus Orchom. p. 390. Nempe incautius Palmerio fidem habuerunt, qui vulg. *ὗλαι* in nomen urbis temere mutatum ivit. Neutra scriptura vera, sed quod est in uno codice servatum, *ἄκραι*. Nam ut Thessaliae *Κυνὸς Κεφαλαί*, quae erant iuxta Scotussam urbem, Plut Flam. 8., colles duo sibi ex adverso oppositi fuerunt, ita Thebis eunti Thespias — vide Xenoph. Ages. II, 22. Hell. V, 4, 38. — colles Boeotii ob formae similitudinem ita appellati fuisse videntur, quorum ad radices vicus fuerit cognominis. Tantum igitur abest ut Moschus dissonet, ut Cynoscephalas, quod nomen versui suo refragabatur, circumloquendo exprimere voluisse videatur et ipse.

Haec si probabiliter disputantur, fallitur H. N. Ulrichsius Itiner. Graec. I. p. 258., quum colles duos, qui hodie Eleusae vocantur, Boeotiae *Κυνὸς Κεφαλὰς* fuisse coniectat, rudera vici ad eos colles Hylas, unde scriptores non re, sed nomine dissentire videri. At ne dissentiunt quidem. Nec iam audiendi, qui Hylis fundos habuisse poetam arbitrati sunt, quae res Moschum in errorem compulerit, ut post Boeckhium nuper posuit Ioan. Franzius Annall. Litt. Berol. 1841, 5. p. 38 seq.

Puer Thebis educatus est, vir factus Thebis habitavit, ut praeter alios locos significat Pyth. III, 77 seqq. De domo eius infra dicetur accuratius. Thebas matrem suam agnoscit, quae se non hospitem Musarum educaverit: praeclare poeta fr. inc. 163, a.:

Οὔτοι με ξένον
Οὐδ' ἀδαήμονα Μοισᾶν ἐπαίδευσαν κλυταὶ
Θῆβαι.

Nomina parentum in vitis diversa prostant. Eustathius: *Πατὴρ μὲν Παγώνδας· κατὰ δέ τινας Δαϊφάντου ἢ Σκοπελίνου αὐλητοῦ καὶ Μυρτοῦς. Ἔνιοι δὲ τὸν αὐτὸν ἔφασαν δυωνυμίας λόγῳ Σκοπελῖνον καὶ Δαΐφαντον λέγεσθαι. Ἄλλοι δὲ πατέρα Πινδάρου εἴτε πατρῳὸν τὸν Σκοπελῖνον εἶπον γενέσθαι. Εἰσὶ δὲ οἳ καὶ οὐ Μυρτώ, ἀλλὰ Κλεοδίκην ἢ κατὰ συναίρεσιν Κλειδίκην*[2]) *μητέρα τῷ Πινδάρῳ ἀναγράφουσι.* Vratisl. p. 9: *Υἱὸς Δαϊφάντου, κατὰ δ' ἐνίους Παγώνδα· ἔνιοι δὲ Σκοπελίνου αὐτὸν γενεαλογοῦσι, τινὲς δὲ τὸν Σκοπελῖνον πατρῳὸν αὐτοῦ γενέσθαι καὶ αὐλητὴν ὄντα τὴν τέχνην διδάξαι αὐτόν.* Thomas p. 4: *Υἱὸς Δαϊφάντου κατὰ τοὺς ἀληθεστέρους· οἱ δὲ Σκοπελίνου φασίν. οἱ δὲ λέγουσι τὸν αὐτὸν Δαΐφαντον καὶ Σκοπελῖνον· οἱ δὲ Παγωνίδου καὶ Μυρτοῦς. ἡ δὲ Μυρτὼ ἐγαμήθη Σκοπελίνῳ τῷ αὐλητῇ, ὃς τὴν αὐλητικὴν ἐδίδασκε τὸν Πίνδαρον.* Suidas: *Σκοπελίνου υἱός, κατὰ δέ τινας Δαϊφάντου, ὃ καὶ μᾶλλον ἀληθές· ὁ γὰρ Σκοπελίνου ἐστὶν ἀφανέστερος καὶ προσγενὴς* (olim *προγενής* legebatur: *προγενέστερος* coniicit Bernhardy) *Πινδάρου. τινὲς δὲ καὶ Παγωνίδου ἱστόρησαν αὐτόν.* Simpliciter *πατρὸς Σκοπελίνου* versus *ἡρωελεγεῖοι* in IX. Lyricos p. 8. Boeckh.

Pretium est strictim percurrere, quam veteres ipsi diversas vias inierint ad componendos hos fluctus. Primum igitur exstiterunt qui Scopelinum a Daiphanto non re, sed nomine distingui censerent. Qui quas causas opinionis habuerint latet. Sed si quis praeter tempus ingeniosus esse voluerit, Daiphanto a *Κυνὸς Κεφαλῶν* collibus subiacentium habitatione *Σκοπελίνου* nomen per lusum inditum fuisse ponet. Immo vel Pagondam eodem trahet. Nobis tamen sententia vetustiorum auctorum nugis posteriorum depravata esse videtur. Quippe fieri potest, ut illi quodammodo eundem parentem poetae dici potuisse disputaverint, Daiphantum quod genuisset, quod tibicinem docuisset Scopelinum. Sic Lamprocles Atheniensis Midonis vel filius vel disci-

---

[2]) *Κλειδίκη* non est contractione ex *Κλεοδίκη* ortum, sed ex *Κλεεδίκη*, a verbo *κλέω*, unde *Κλεεσιδίκη* (*Κλεισιδίκη*) et *Κλεεδίκη* (*Κλειδίκη*) proveniunt cum multis aliis. Vid. Ahrens de Dial. Dor. p. 218.

pulus fuisse [traditur Scholiastae Arist. Nubb. 964. — Deinde alii Scopelinum ita removerunt, ut eum parentem alterius Pindari et ignobilioris, quem Suidas vetustiorem appellare videtur, fuisse statuerent. Ab his non videntur dissensisse qui Scopelinum *πατρωὸν* potius quam *πατέρα* Pindari ferunt. *Πατρωόν* in Vratisl. a Boeckhio est, cuius iudicio fides accedit Eustathii; codex *πάτρωον*, unde Schneiderus *πατρῷον* effinxit, h. e. *πάτρων*. Tu vide, ne veteres fictores ipsi in diversa abierint: Eustathii enim orationem credo ita redintegrandam esse: *Ἄλλοι δὲ πάτρων Πινδάρου εἴτε πατρωὸν τὸν Σκοπελῖνον εἶπον γενέσθαι.* Igitur alii Daiphanti uxorem post mortem mariti Scopelino nupsisse, alii hunc poetae patruum fabulati sunt.

Tertium periculum et id in trito artificio veterum grammaticorum positum eorum est, qui alterum lyricum Thebanum nostri poetae *ἀνεψιὸν* comminiscerentur eumque Scopelini filium crearent; quod ex Suida colligitur, qui recentiorem istum Pindarum a cycno Dircaeo seorsum collocat.

Postremo quartum effugium circumspexere alii hoc, ut Myrto matrem post obitum mariti, Pagondae, nupsisse dicerent Scopelino tibicini. Simillime hi atque ii, quos altero loco ponebam, nisi quod pro Daiphanto Pagondam loquuntur. In his tenebris aegre dispicias, quid vel verum vel vero proximum haberi oporteat. Interim Daiphantum et Clidicen parentes tuemur, quos vita metrica novit solos. Et Daiphantum quidem — librarii nomen aliquoties in *Διόφαντον* corruperunt — et plures testes et locupletiores promunt, Philostratus Senior Imagg. II, 12., Steph. Byz., Thomas Mag.: *κατὰ τοὺς ἀληθεστέρους*, Suidae auctor: *ὃ καὶ μᾶλλον ἀληθές*, et praeter reliquos Tzetzes Chill. I, 8. Accedit gravissimum momentum tituli libelli Plutarchei: *βίος Δαϊφάντου καὶ Πινδάρου.* Nec de nihilo est, quod filius Pindari Daiphanti nomen gessisse fertur, de avo ex more veterum Graecorum nominatus; vide Eustath., Vit. Metr., Suid., Vit. Vratisl. Scopelinus autem tibicen cum puerulum in arte sua instituisset, fortasse a poeta alicubi honorifice commemoratus fuit vel nomine parentis vel ut verba in istam sententiam deflecti posse viderentur. Certe matrem *Μυρτὼ* ex simili origine iam olim repetii ad Eustath. p. 15., cum Pindarus *μαθητὴς Μυρτίδος γυναικὸς* dicatur Suidae s. v. [3]). Eiusdem nominis

---

[3]) Pearsonus hiulcam orationem ita coagmentabat: *καὶ Μυρτίδος γυναικὸς [υἱός·] μαθητὴς [δὲ Λάσου ἢ Σιμωνίδου].* Fru-

diversae formae *Μυρτώ* et *Μυρτίς*, ut *Βαυκίς* et *Βαυκώ*, *Βιττώ* et *Βιττίς*, *Γληνώ* et *Γληνίς* aliaque complura. Igitur cuius institutione poetriae eruditus dicebatur poeta, eadem ab aliis matris honore aucta est. Ceterum Myrto crediderim Pagondam secum attulisse, sive is pater sive maritus poetriae fuit. Nomen apud Boeotos haud infrequens: iam Olymp. XXV. Thebanus Pagondas Olympiae curru victor exstitit primus, Pausan. V, 8, 3. Alterum Boeotarchum, Aeolaidae filium, habes Thuc. IV, 91 seqq., unde sua accepit Herodicus Crateteus apud Athenaeum V. p. 215, F.

Familiam poetae fuisse ex nobilissima gente Aegidarum, qui a priscorum Cadmionum stirpe progeniti et Thebis et Spartae sederunt, unde pars Theram et Cyrenas iussu Apollinis migraverat, testatum reliquit ipse Pyth. V, 72 seq. Patrem Daiphantum vita metr. *μενεπτόλεμον* vocat [4]); quod equidem non ex veriloquio nominis expressum, sed ex fide historiae narratum indico. Dux belli non dedecet generosam gentem Aegidarum. Congruens his est, quod frater poetae Eritimus vel Eritimon — Erotionem vocat Suidas — vit. metr. 4 seq. accurate describitur *εἰδὼς θήρης, εἰδὼς πυγμαχίης τε παλαισμοσύνης τ' ἀλεγεινῆς*.

Uxorem Megacleam, Lysithei et Callinae filiam, vocat Vratisl., Timoxenam metrica. Utraque potest fuisse deinceps. Daiphanto filio scripserat pater *δαφνηφορικὸν ᾆσμα*, Eust. 25. p. 17., cum is a Thebanis esset daphnephorus Apollinis Daphnephorii a Boeotis sancte culti creatus; vide Boeckh. ad Parthenia Pindari p. 590. Quo honore cum ii tantum digni haberentur, qui essent et specie pulchri et *οἶκον δοκίμου*, Pausan. IX, 10, 4., inde quoque familiae nobilitas comprobatur. Filias Eumetin et Protomacham vocant praeter Epigramma infra ascriptum Vrat., Scholl. Pyth. III, 139., Suidas, Metr., Thomas [5]).

---

stra. Quod *γυναικός* additum est, acute observavit Bernhardy coniecturam capere licere ex versibus Corinnae infra perscriptis. Ibi enim vituperatur Myrtis, quod *βανὰ φοῦσα* cum Pindaro congredi non refugerit.

[4]) Nobile Thebanorum nomen: sic ad Mantineam cum Epaminonda Daiphantus caesus est, cui moribundus ille summum imperium concrediturus erat, ignorans iam ante se esse exstinctum, Aelian. V. H. XII, 3. Praeterea notus est dux Phocensium equitum, qui Thessalos ad Hyampolin gravi proelio fudit, Plutarch. Non posse suaviter vivi sec. Epic. p. 1099. E. cap. XVIII. Pausanias Phoc. I, 4. Daiphantam vocat, quae forma olim etiam in vita metr. 2. exstabat.

[5]) Eustath. 31. p. 23. et Vratisl. p. 10: *Πρὸς τὸν ἐρωτήσαντα, διὰ τί οὐ τῷ εὖ πράττοντι τὴν θυγατέρα δίδωσιν, Οὐ μό-*

Natum se esse tempore Pythiorum testatum reliquit ipse fr. 205. Boeckh., 102. Dissen., apud Eustath. 27. p. 17. Vratisl. p. 9. coll. Plut. Symp. VIII, 1:

Πενταετηρὶς ἑορτὰ
βουπομπός, ἐν ᾇ πρῶτος εὐνάσθην ἀγαπατὸς
ὑπὸ σπαργάνοις.

Quod veterum superstitiosa religio in futurae praestantiae poeticae augurium interpretabatur. Tempora poetae non satis accurate notarunt veteres grammatici. Sic Thomas p. 4: *Τέθνηκεν ὁ Πίνδαρος ἓξ καὶ ἑξήκοντα ἐτῶν γεγονὼς [ἤ, ὥς τινες, ὀγδοήκοντα] ἐπὶ Ἀβίωνος ἄρχοντος κατὰ ἕκτην καὶ ὀγδοηκοστὴν Ὀλυμπιάδα.* Peius etiam Eustathius 25. p. 16: *Γενομένῳ ἐπὶ ἄρχοντος Ἀβίωνος* (voluerunt *Βίωνος*, qui Ol. LXXX, 3. Athenis magistratum gessit) *κατὰ τοὺς χρόνους Αἰσχύλου, ᾧ καὶ συγγεγένηται, ὁμιλήσας καὶ ἀπονάμενός τι καὶ τῆς ἐκείνου μεγαλοφωνίας. Τέθνηκε δέ, ὅτε τὰ Περσικὰ ἤκμαζε, κατὰ τὴν ἕκτην καὶ ὀγδοηκοστὴν Ὀλυμπιάδα, ζήσας ἔτη ἓξ καὶ ἑξήκοντα, κατὰ δὲ ἐνίους ὀγδοήκοντα.* Saniora p. 17. affert: *Κατὰ τὴν τοῦ Ξέρξου διάβασιν ἤκμαζε τὴν ἡλικίαν.* Praeterea Simonide iuniorem, vetustiorem Bacchylide dicunt; Simonidem autem et Pindarum fere aequales vixisse inde effecere, quod uterque easdem res gestas aetatis suae attigisset Hieronemque Syracusanum una adissent, Vratisl. p. 10. Eustath. p. 17. coll. quae dixi Simonid. Cei fr. 1. Accuratius Suidas: *Γεγονὼς κατὰ τὴν ξε΄ Ὀλυμπιάδα, κατὰ τὴν Ξέρξου στρατείαν ὢν ἐτῶν μ΄* [6]). Unde vulgo natales poetae Ol. LXV, 3. ponunt, quem calculum praeter ceteros Clintonus sequitur. Contra Boeckhius Ol. LXIV, 3. defendit: (tertius enim annus Olympiadis sistitur eo, quod Pythia tertio quoque anno Olympiadis acta constat incipiente Attico mense Munychione, veris tempore; vid. Corsini Diss. Agon. II, 12.): quem annum cum Suidae testimonio unice congruere accurato temporum computo effecit.

Suidas quod Pindarum decessisse narrat *ἐτῶν νε΄*, pro eo numero nimis absurdo Bernhardy *ν΄* ponendum coniicit. Vita metrica:

Κάτθανεν ὀγδώκοντα τελειομένων ἐνιαυτῶν.

νον εὖ πράττοντος ἔφη δεῖσθαι, ἀλλὰ καὶ πράξαντος. Desiderabat generum non solum locupletem et beatum, sed qui probe vixisset. Alii *πράξοντος εὖ* legunt et in diversum intellectum explicant; vide ad Eust. l. c.

6) Xerxis invasionem memorant, quoniam Pindarum cum alias tum fr. inc. 94. eius mentionem fecisse sciebant.

Si autem archonte Bione obiit, non potuisse ultra annos LXIII. et menses novem habuisse demonstravit **Boeckhius**, qui, postquam varias rationes aliorum plus minusve improbabiles elevavit, eo inclinat ipse, ut Ol. LXIV, 3. natus, Ol. LXXXIV, 3. mortuus octoginta annos impleverit. Eamque rationem contra eos, qui Olymp. LXXX, 2/3. defunctum censent, ita vindicat, ut complura carmina ultra Olymp. LXXXI. removenda, Olympium quartum et quintum Olympiadi LXXXII, 1. assignanda videri contendat. —

Boeoti quamvis reliquis Graecis, maxime finitimis Atticis hominibus, ingenito quodam stupore miraque inertia et animo ab artium omnisque Atticae elegantiae studio averso infames haberentur, tamen Heliconiadum Musarum sedes ab antiquis inde temporibus cantu et carminibus impense gaudebat. Epicos poetas genuerat Ascraeum Hesiodum et Chersiam Orchomenium, lyricas poetrias Corinnam Tanagraeam et Myrtidem Anthedoniam. Sed probrosum genti proverbium idque ab Attica invidia profectum *Βοιωτία ὗς* in splendidum decus vertit maxime Pindarus [7]). Quem quidem parentes puerulum tradiderunt Scopelino tibicini, qui *τὴν αὐλητικὴν ἐδίδαξε τὸν παῖδα*, Eustath. 25. p. 15. Qua in arte ab ipsa Minerva, ut ferebant, apud se reperta, v. Pind. Pyth. XII, 18 seqq., Boeoti. quibus lacuum amniumque ripae eximias arundines largiter offerebant, ab antiquo inde tempore elaboraverant. Isque tum illius artis honos cum sacris deorum coniunctae et vel legumlatorum cura commendatae — Plutarch. Pelop. 19. — inter Boeotos fuisse videtur, ut vel nobilissimae familiae puero non dedecori fore putaretur. Nam quod familiam Pindari, quam tibicinum fuisse quae de parentibus tradantur monstrare videri, hereditario iure certis in deorum solemnibus musicam exercuisse, maxime in cultu Magnae Matris et Panis, suspicabatur **Boeckhius**, quem praeter alios sequitur **Muellerus** Dorienss. I. p. 345: id ut pulchre excogitatum est et illius aetatis institutis apte, ita optatum magis quam demonstratum videri debet. Nos nostram sententiam supra professi sumus. Quanquam sacerdotum munere Aegidas functos constat; v. **Muelleri** Orchom. p. 228.

---

[7]) Themistius Orat. XXVII. p. 334. Harduin.: *Καὶ γὰρ δὴ καὶ ἡ Βοιωτία χωρίον μὲν ἀμαθίας εἶναι ἐδόκει καὶ ὗν τινα, οἶμαι, Βοιωτίαν ἐκάλουν, εἰς ἀπαιδευσίαν τὸ φῦλον ἐπισκώπτοντες· ἀλλ' ὅμως Πίνδαρος καὶ Κόριννα καὶ Ἡσίοδος οὐκ ἐμολύνθησαν τῆς ὑός.*

Fuit autem in fatis, ut Pindarus miraculo quodam divino ad poeticam artem factitandam converteretur. Constat, de poetis suis, hominibus singulari deorum favore ultra humana evectis, quam mirabilia fabulari gestierint veteres Graeci, idque vel eo tempore, cum iam fabularum popularium de diis et heroibus proventus cessaret. Plerarumque autem istius generis fabellarum fontem fuisse carmina poetarum ipsorum, unde ab hominibus varie interpretando, exornando, deflectendo haurirentur, interdum vel cum summa affingendi licentia, facile semel monitus observabis. Quod dicebam miraculum non uno modo exornant veteres. Teste Eustathio 27. p. 19. Chamaeleon et Ister in hunc modum narraverunt, *ὡς περὶ Ἑλικῶνος θηρῶντος*[8]) *αὐτοῦ καὶ καμάτῳ κατενεχθέντος εἰς ὕπνον μέλισσα τῷ στόματι προςκαθίσασα κηρία ἐνέθετο. Οἱ δὲ ὄναρ φασὶν ἰδεῖν αὐτὸν, ὡς μέλιτος καὶ κηροῦ πλῆρες αὐτῷ γεγόνοι τὸ στόμα.* Similiter Pausanias IX, 23, 2: *Πίνδαρον ἡλικίαν ὄντα νεανίσκον καὶ ἰόντα ἐς Θεσπιὰς θέρους ὥρᾳ καύματος περὶ μεσοῦσαν μάλιστα ἡμέραν κόπος καὶ ὕπνος ὑπ᾿ αὐτοῦ κατελάμβανεν· ὁ μὲν δή, ὡς εἶχεν, κατακλίνεται βραχὺ ὑπὲρ τῆς ὁδοῦ· μέλισσαι δὲ αὐτῷ καθεύδοντι προςεπέτοντό τε καὶ ἔπλασσον πρὸς τὰ χείλη τοῦ κηροῦ· ἀρχὴ μὲν Πινδάρῳ ποιεῖν ᾄσματα ἐγένετο τοιαύτη.* Adde praeter Vratisl. p. 9. Metr. v. 6 seq. Aelian. V. H. XII, 45. Antipatri Epigramma Anth. Plan. p. 718. nr. 305. Iacobs., quod emendatius sic exhibet Eustathius 27. p. 18:

Νεβρείων ὁπόσον σάλπιγξ ὑπερίαχεν αὐλῶν,
Τόσσον ὑπὲρ πάσας ἔκραγε σεῖο χέλυς.
Οὐδὲ μάτην ἁπαλοῖς περὶ χείλεσιν ἑσμὸς ἐκεῖνος
Ἔπλασε κηρόδετον, Πίνδαρε, σεῖο μέλι.
Μάρτυς ὁ Μαινάλιος κερόεις θεὸς ὕμνον ἀείσας
Τὸν σέο καὶ νομίων λησάμενος δονάκων.

Neque vero silentio praetereunda tabulae pictae Neapolitanae ingeniosissime adornatae memoria, quae est apud Philostratum Seniorem Imagg. II, 12. p. 71. Iacobs. Exhibuit pictor apes ad aedes Daiphanti convolantes modo natum infantulum in sacrae lauri myrtique frondibus repositum melle suo nutrituras: *τὸ μὲν γὰρ παιδίον ἐς δάφνην ἀπόκειται καὶ κλῶνας μυῤῥίνης, ξυμβαλλομένου τοῦ πατρὸς ἱεροῦ τεύξεσθαι τοῦ παιδός, ἀφ᾿ ὧν κύμβα-*

---

[8]) *θεριοῦντος* lusit R. Ungerus Theb. Parad. I. p. 190. Reliqua vix serio scripsit. Tam sunt nugatoria.

λά τε κατήχει τῆς οἰκίας, ὅτε ἐτίκτετο, καὶ τύμπανα ἠκούετο ἐκ Ῥέας, et quae sequuntur.

Igitur plurimi apes nutrivisse Pindarum fabulantur; alii, qui incredibilem rem ad probabilitatem quandam redacturi erant, maluerunt per somnium poetae eam speciem divinitus oblatam esse: utrique, ut voluntate deorum ad pangenda carmina instigatum fuisse poetam declararent. In quibus figmentis illud me semper male habuit, cur de Pindaro talia fabulari veteribus in mentem venisset, hoc est de eo poeta, qui non tam ob mellitam loquelae dulcedinem, quam ob os grandiloquum et gloriaretur ipse et esset in honore hominum. Novimus Homerum, Anacreontem, Erinnam, Nossidem [9]), alios poetas atque poetrias atque ipsum Platonem suavitate sermonis sui eiusmodi fabellas provocasse; vide Welckerum ad Philostr. l. c. Ii enim ex illa virtute censebantur primaria. Quod non cadit in Pindarum. Dicam igitur, quid sentiam. Poeta per carmina saepe se mel mittere|victoribus ait vel similiter poemata sua cum apum labore comparat. Confer Olymp. X, 4. Pyth. III, 64. Ol. XI, 97. Nem. III, 76. Sed ne ex istis quidem locis fuisse conficturos fabulam crediderim. Illud potius dictum originem fabulae dedit, quod est fr. inc. 163:

Μελισσοτεύκτων κηρίων
ἐμὰ γλυκερώτερος ὀμφά [10]).

Ceterum in eo agnoscas ingeniosam subtilitatem veterum, quod Thebis Thespias eunti vel circa Heliconem venanti illud acci-

[9]) Eadem in Virgilium transtulit Grammaticus Anthol. Lat. I. p. 365, 29.

[10]) Opinabar aliquando aliud carmen in causa fuisse, cur veteres suavem narrationem in Pindarum ipsum referrent. Etenim Didymus in libris ἐξηγήσεως Πινδαρικῆς apud Lactant. Inst. Div. I, 22. narraverat „Melissea, Cretensium regem, primum diis sacrificasse ac ritus novos sacrorumque pompas introduxisse. Huius duas fuisse filias, Amaltheam et Melissam, quae Iovem puerum caprino lacte et melle nutrierunt. Unde poetica illa fabula originem sumpsit, advolasse apes atque os pueri melle complesse. Melissam vero a patre primam sacerdotem Magnae Matri constitutam, unde adhuc eiusdem Matris antistites Melissae nuncupantur." Postea illam cogitationem abieci. Nam Didymus ista aperte commentatus erat in locum aliquem poetae, qui *μελίσσας* Magnae Matris sacerdotes signabat. Eumque etiamnunc habemus, credo, fr. inc. 26: *Ταῖς ἱεραῖσι μελίσσαις τέρπεται.* Quae verba equidem non ex hymno in Proserpinam ducta statuo cum Boeckhio — quanquam eius quoque deae antistites id nomen gessisse constat; v. Preller. de Cerere et Pros. p. 58. —, sed ex hymno in Magnam Matrem propter expressa verba Didymi.

disse fidissimi testes narrant. Ita enim fingebant non tam, quia Cynoscephalae in eam partem sitae erant, quam propter viciniam Musarum Heliconiadum, fautricum poetae et patronarum.

Igitur pater cum Pindarum ad maiora natum intellexisset, Athenas misit, qua in urbe clarorum magistrorum disciplina ad excolendam innatam facultatem poeticam frueretur. Quod circa Olymp. LXVIII, 3., cum Pindarus fere sedecim annos haberet, evenisse censendum est. Athenae iam tum poesis favore inclitae choricorum carminum artifices celeberrimos vel allexerant peregrinos vel affluebant domesticis. Quorum facile princeps fuit Lasus Hermionensis, ὁ περιᾳδόμενος, παρ᾽ ᾧ ἐπαιδεύθη τὴν λυρικήν, Eustath. 27. p. 19., qui Hermionae Argolidis natus et dithyrambicae potissimum poesi deditus tunc Athenis degebat, non poeta solum et homo sapiens atque acutus, sed peritissimus artis musicae praeceptor futuro poetae ad discendam necessariae[11]). Cum Laso Athenienses artifices commemorantur duo, quorum institutione usus sit Pindarus, Agathocles et Apollodorus. Et alteruter eorum *προϊστάμενος κυκλίων χορῶν καὶ ἀποδημῶν τὴν διδασκαλίαν ἐπίστευσε Πινδάρῳ παιδὶ ὄντι· ὁ δὲ εὖ τὸ πιστωθὲν διακοσμήσας περιεβοήθη.* De Agathocle, praeclaro musico eodemque sophista, videndus Plato Protag. p. 316. E. Lachet. p. 180. D. et reliqui ad Eustath. p. 20. commemorati.

Nostris hominibus forsitan mirabile videatur, quod Pindarum natura ad poesin factum et natum vel sic disciplina aliorum indiguisse tradunt veteres. Sed ii desinent mirari, si qualis ars poetarum lyricorum, cum musica et choreutica coniunctissima, fuerit penitus introspexerint.

Praeter rhythmorum et melopoeiae doctrinam haudquaquam in medio positam metrorum, cantus, saltationis, denique ars choros instruendi discenda erat a peritis. Quid quod vel dialecti usum tradi a magistris debuisse non inepte statui videtur. Exuenda quippe fuit patria dialectus et vulgaris sermo a sublimioris poesis volatu procul arcendus. Addisci debebat illud dialectorum temperamentum, quod altiorem poesin unice decere videbatur usuque tum poetarum lyricorum erat receptum. Tradebantur praeterea regulae quaedam et praecepta, quae poetarum melicorum mentem altius sese efferentem divinoque furore in trans-

---

[11]) Uberius haec pertractavi in commentatione de Laso Hermionensi, quae praemissa est Indici scholl. Gottingens. 1842/3.

versum raptam sanae tamen rationis frenis sapienter compescerent. Veluti mythorum usus narrandique genus ab epica poesi diversum disciplina monstranda fuerunt. Ipsius poesis lyricae regulas quasdam et normas nemini migrandas exstitisse ipsa Pindari carmina aperte indicant. Identidem poeta quosdam τεθμοὺς commemorat, quibus inservire debeat, veluti Nem. IV, 33: *τὰ μακρὰ δ' ἐξενέπειν ἐρύκει με τ ε θ μ ὸ ς Ὧραί τ' ἐπειγόμεναι.* Pyth. IV, 247: *Μακρά μοι νεῖσθαι κατ' ἀμαξιτόν· ὥρα γὰρ συνάπτει· καί τινα Οἶμον ἴσαμι βραχύν· πολλοῖσι δ' ἄγημαι σοφίας ἑτέροις.* Olymp. XIII, 47: *ἕπεται δ' ἐν ἑκάστῳ μέτρον· νοῆσαι δὲ καιρὸς ἄριστος.* Pyth. IX, 76: *Ἀρεταὶ δ' αἰεὶ μεγάλαι πολύμυθοι· Βαιὰ δ' ἐν μακροῖσι ποικίλλειν Ἀκοὰ σοφοῖς· ὁ δὲ καιρὸς ὁμοίως Παντὸς ἔχει κορυφάν.* Sic saepenumero ab scitamentis mythicis se revocat legisque hymnis scriptae admonet; cf. Ol. XIII, 93. Pyth. X, 49. XI, 38. Nem. III, 26. Atque carmina sua quam meditate componere (*μαχανὰν* suam solet dicere) et quanto cum studio expolire solitus sit quantaque cum arte et prudentia per partes deduxerit, D i s s e n i i potissimum opera egregie patefactum est. Ipse profitetur Isthm. I, 3: *μή μοι κραναὰ νεμεσάσαι Δᾶλος, ἐν ᾇ κέχυμαι· — εἶξον, ὦ Ἀπολλωνιάς· ἀμφοτερᾶν τοι χαρίτων σὺν θεοῖς ζεύξω τέλος.* Isthm. II, 45. se hymnos suos *ἐργάσασθαι* dicit. Compositionem verborum artificiose factam *ἐπέων θέσιν* ait Olymp. III, 8.; ope Musae splendidos musicos modos excogitat Ol. III, 4: *νεοσίγαλον εὑρῶν τρόπον Δωρίῳ φωνὰν ἐναρμόξαι πεδίλῳ Ἀγλαόκωμον.* Ol. VI, 86: *ἀνδράσιν αἰχματαῖσι πλέκων Ποικίλον ὕμνον.* Ipse poeta singulas partes carminum suorum scite secernit et significat *ὕμνον προκώμιον, προοίμιον, κρηπῖδ' ἀοιδᾶν*; vide W e l c k e r i egregias observationes Mus. Rhen. 1833. p. 364 seq. et quae Ed. M u e l l e r u s disputat Histor. doctrinae artis apud Graecos I. p. 11 seqq.

Universis illis difficillimae artis arcanis qui initiari vellet, eum praeter ingenii praestantiam haud levem laborem subire oportuisse facile est ad intelligendum. Quis ingeniosior Pindaro, quis a diis concessae et ingenitae excellentiae praedicator disertior? quis denique eorum, qui discendo acquirere conarentur quod natura negasset, despicientior? *Σοφὸς ὁ πολλὰ εἰδὼς φυᾷ· μαθόντες δὲ λάβροι παγγλωσσίᾳ, κόρακες ὥς, ἄκραντα γαρύετον Διὸς πρὸς ὄρνιχα θεῖον*, Olymp. II, 86. *Τὸ δὲ φυᾷ κράτιστον ἅπαν· πολλοὶ δὲ διδακταῖς Ἀνθρώπων ἀρεταῖς κλέος Ὤρουσαν*

ἐλέσθαι, Ol. IX, 100. Τέχναι δ' ἑτέρων ἕτεραι· χρὴ δ' ἐν εὐθείαις Ὁδοῖς στείχοντα μάρνασθαι φυᾷ. Nem. I, 25. Συγγενεῖ δέ τις εὐδοξίᾳ μέγα βρίθει· Ὃς δὲ διδάκτ' ἔχει, ψεφεννὸς ἀνὴρ ἄλλοτ' ἄλλα πνέων οὔ ποτ' ἀτρεκέϊ Κατέβα ποδί, μυριᾶν δ' ἀρετᾶν ἀτελεῖ νόῳ γεύεται; Nem. III, 40. Scilicet idem tamen concedit disciplina insitam naturae bonitatem conformari et ad fastigium perfectionis evehi posse. Ol. XI, 20: Θήξαις δέ κε φύντ' ἀρετᾷ ποτὶ Πελώριον ὁρμάσαι κλέος ἀνὴρ θεοῦ σὺν παλάμᾳ.

Pindarus circa vigesimum, puta, annum aetatis suae Thebas redux carmina pangebat, sed ut Boeotis tamen suis non magnopere satisfaceret. Cum Myrtide poetria certamen subisse scimus: Tanagraea Corinna, cuius carmina fere heroicarum fabularum Boeotis domesticarum materiem habebant, obiurgavit adolescentulum μὴ ποιοῦντα μύθους. Cuius reprehensionis ea vis fuit, ut continuo quod deliquisset reparare conaretur; sed, ut fere fit, modum ea in re excedebat. Narrat Plutarchus de Glor. Ath. XIV: Ἡ Κόριννα τὸν Πίνδαρον ὄντα νέον ἔτι καὶ τῇ λογιότητι σοβαρῶς χρώμενον ἐνουθέτησεν ὡς ἄμουσον ὄντα καὶ μὴ ποιοῦντα μύθους, ὃ τῆς ποιητικῆς ἔργον εἶναι συμβέβηκε, γλώσσας δὲ καὶ καταχρήσεις καὶ μεταφράσεις καὶ μέλη καὶ ῥυθμοὺς ἡδύσματα τοῖς πράγμασιν ὑποτίθεται. Σφόδρα οὖν ἐπιστήσας ὁ Πίνδαρος τοῖς λεγομένοις ἐποίησεν ἐκεῖνο τὸ μέλος·

Ἰσμηνὸν ἢ χρυσαλάκατον Μελίαν κτλ. (v. hymn. fr. 1.).

Δειξαμένου δὲ τῇ Κορίννῃ γελάσασα ἐκείνη Τῇ χειρὶ δεῖν ἔφη σπείρειν, ἀλλὰ μὴ ὅλῳ τῷ θυλάκῳ. Τῷ γὰρ ὄντι συγκεράσας καὶ συμφορήσας πανσπερμίαν τινὰ μύθων ὁ Πίνδαρος τὸ μέλος ἐξέχεεν. Eodem tendit Vita Metr. v. 9 seqq.:

Τῷ δὲ λιγυφθόγγων ἐπέων μελέων θ' ὑποθήμων
Ἔπλετο δῖα Κόριννα, θεμείλια δ' ὤπασε μύθων
Τὸ πρῶτον· μετὰ τὴν δ' Ἀγαθοκλέος ἔμμορεν αὐδῆς,
Ὅς ῥά τέ οἱ κατέδειξεν ὁδὸν καὶ μέτρον ἀοιδῆς.

Sed quod Agathoclis institutionem post Corinnae monita collocat auctor, in eo lapsus videtur coniectura. Id hinc cognosce. Etenim Corinna non in eo substitit, ut Pindaro modicum usum mythorum commendaret, sed eadem patrii sermonis amantissima, ut mos est mulierculcularum, sonum sermonis Pindarici a Boeotorum dialecto alienum eumque Attica consuetudine fucatum non aequo animo tulit. Memorabile eam in rem testimonium Schol. Aristoph. Ach. 720: Ἀγοράζειν· ἐν ἀγορᾷ διατρίβειν· Ἀττικῶς· ὅθεν καὶ ἡ Κόριννα ἐστὶ τοῦ Πινδάρου Ἀττικιστί· ἐπεὶ καὶ ἐν τῷ πρώτῳ

τῶν Παρθενίων ἐχρήσατο τῇ λέξει [12]). Corruptorum verborum emendationem frustra tentavit Piersonus ad Moerid. p. 70., licet praeter Boeckhium ad Parthen. fr. 1. Bernhardy ad Suid. s. v. *Κόριννα* p. 344. et G. Dindorfius pro certa acceperint, hanc: *ἡ Κόριννα, ἔτι δὲ ὁ Πίνδαρος ἀττικίζει.* Mentem Scholiastae primus sagaciter perspexit Iac. Geelius, quem honoris causa nomino, in literis nuper ad me datis: „*ἀγοράζειν*," inquit, „verbum Atticum est, unde Corinna Pindarum reprehendit, quod Atticum verbum admisisset. Verba non praesto: videntur tamen ita fere restitui posse: *ὅθεν καὶ ἡ Κόριννα ἐπιτιμᾷ Πινδάρῳ ἀττικίζοντι.*" Simul hinc apparet commonefactum poetam esse a Corinna Athenis reversum Thebas. Quanquam non negem vel ante illud tempus Corinnae praeceptis locum fuisse.

Ab eadem poetria Pindarus aliquando in certamine poetarum victus est, si quidem audimus Pausaniam IX, 22, 3: *Κορίννης, ἣ μόνη δὴ ἐν Τανάγρᾳ ᾄσματα ἐποίησε, ταύτης ἔστι μὲν μνῆμα ἐν περιφανεῖ τῆς πόλεως· ἔστι δὲ ἐν τῷ γυμνασίῳ γραφή, ταινίᾳ τὴν κεφαλὴν ἡ Κόριννα ἀναδουμένη τῆς νίκης ἕνεκα, ἣ Πίνδαρον ᾄσματι ἐνίκησεν ἐν Θήβαις· φαίνεται δέ μοι νικῆσαι τῆς διαλέκτου τε εἵνεκα, ὅτι ᾖδεν οὐ τῇ φωνῇ τῇ Δωρίδι, ὥςπερ ὁ Πίνδαρος, ἀλλ' ὁποῖα συνήσειν ἔμελλον οἱ Αἰολεῖς, καὶ ὅτι ἦν γυναικῶν τῶν τότε ἥδε καλλίστη τὸ εἶδος, εἴ τι ἐπὶ τῇ εἰκόνι δεῖ τεκμαίρεσθαι.* Quinquies victum scribit Suidas s. v. *Κόριννα*: *ἐνίκησε πεντάκις, ὡς λόγος, Πίνδαρον*, ubi dubium esse potest, utrum *ὡς λόγος* ad *πεντάκις* solum an ad universam famam pertineat. Res ipsa per se haud incredibilis, sed in sola tamen coniectura videtur posita fuisse vel Pausaniae tabulae pictae ornatum explicantis vel exegetae Tanagraei domesticam poetriam victo Thebano vate nobilitaturi. Etenim versus supersunt Corinnae ipsius, quibus Myrtidem vellicat, quod mulier nata certamen cum Pindaro non detrectaverit; cf. Corinnae fr. 12. Delect.:

Μέμφομη δὲ κὴ λιγουρὰν Μουρτίδ' ἰώνγα,
ὅτι βανὰ φοῦσ' ἔβα Πινδάροιό ποτ' ἔριν.

At ut confiteamur verum esse, quod Welckerus illius narrationis integritatem vindicans in docta de Corinna disputatione Creuzeri Melett. II. p. 10 seqq. inserta observat, non eosdem

---

[12]) Ravennas post *διατρίβειν* addit *ἐν ἐξουσίᾳ καὶ παῤῥησίᾳ ἐστίν*, quae verba male reliquis interveniunt, cum spectent ad Aristophanica: *ἐνταῦθ' ἀγοράζειν τοῖσι Πελοποννησίοις ἔξεστιν.* Idem codex verba *Ἀττικῶς — τῇ λέξει* prorsus ignorat.

******

nos esse omnibus horis, utque Corinnam aliquando cum discipulo suo certamen non defugisse concedamus: illud certe explodemus ut indignum tanto poeta, quod nugator Aelianus transmisit Varr. Hist. XIII, 25: *Πίνδαρος ὁ ποιητὴς ἀγωνιζόμενος ἐν Θήβαις ἀμαθέσι περιπεσὼν ἀκροαταῖς ἡττήθη Κορίννης πεντάκις. Ἐλέγχων δὲ τὴν ἀμουσίαν αὐτῶν ὁ Πίνδαρος σῦν ἐκάλει τὴν Κόριννα ν.* Quam inficetam historiolam a male sanis grammaticulis ex iis locis extortam esse, qui *ὗν Βοιωτίαν* proverbium tangunt, quovis pignore contenderim. Cf. Olymp. VI, 90. cum Scholiis, quae afferunt fr. dithyr. 9.

Ita deducimur ad reliquos poetas, unde profecisse Pindarum volunt veteres. Quem quod in magnificentia orationis nonnihil ab Aeschylo adiutum ferunt, videtur id mera suspicio grammaticorum esse, qui et aequales eos vixisse et in omni genere sermonis multa communia habere scirent. Omnino magistrorum et discipulorum vinculo grammatici antiquos poetas et scriptores eiusdem aetatis similique indole constringere amant. Iidem *καὶ Σιμωνίδου ἀκοῦσαι* perhibent, v. Eustath. 25. p. 17., qui quidem iam tum gloria haud vulgari floruit, cum Pindarus in cunis vagiret. Neque insulse veteres et praeter fidem, modo auditoris cogitationem dempseris. Nam Simonidem, qui in primis et Graeciam universam pervagatus et omnem campum poesis lyricae permensus erat, in quemvis poetam natu minorem aliquam vim ostendisse par est credere. Pindarus vel Athenis viderit vel Delphis et Olympiae vel in aliis ludorum solemnibus. Sed fieri non poterat, ut Simonides ad crescentem ingeniosissimi aemuli laudem quiesceret: erat enim in eo summa cupido gloriae nec minor cura quaestus ex poesi sua redundantis. Hinc facile credimus, quod narrant veteres, Simonidem sibi non temperasse, quin per carmina oblique aemulum carperet; vide Prolegg. Simon. Cei p. XXX seq. Neque ea, quae Scholiastae Pindari in epiniciis hic illic in Simonidem iacta loquuntur, prorsus tanquam insana commenta repudianda sunt, modo teneas rixarum inter utrumque agitatarum memoriam ad posteros propagatam non ubique recte in interpretatione poetae esse ad partes vocatam. Adde, quod causas discidii non tam in rebus frivolis atque humilibus et tantis poetis indignis quam in diversitate naturae atque artis lyricae positas fuisse quaedam vestigia fidem faciunt. Talia in carminibus suis impugnare lyricis poetis moris fuit. Sic Lasi literam sigma ex dithyrambis suis proscribentis difficiles nugas libero risit Pindarus dithyr. fr. 5.; sic idem Simonidis ar-

tificia narrationesque mythicas interdum explosisse videtur. Quanquam quae Simonidem tangere annotant Scholiastae, eorum pleraque in Bacchylidem potius torta videntur. Qui cum ad Simonidis, consanguinei sui, imitationem anxie sese contulisset eiusque vestigiis insisteret studiosissime: Pindarus ὁ πολλὰ εἰδὼς φυᾷ operosa Bacchylidis conamina contemptui habuit. Utriusque poetae obtrectationem et in mythis diverso modo usurpandis et in sententiis generalibus diversum in finem directis comparere etiamnunc in reliquiis carminum egregie exsecutus est C. F. Neuius Bacchyl. frr. p. 3 seqq. — Praeter hos poetas quod Amphimenes quidam Cous ἐφιλονείκει Πινδάρῳ auctore Diog. Laert. II, 25, 46., obscurum est quorsum pertineat.

Postremo Pythagoreum nuncupat Pindarum Clemens Alex. Stromm. V, 14. p. 710. Potter.: Μυστικώτερον ὁ Βοιώτιος Πίνδαρος, ἅτε Πυθαγόρειος ὤν· Ἓν ἀνδρῶν, ἓν θεῶν γένος, ἐκ μιᾶς δὲ πνέομεν ματρὸς ἄμφω (Nem. VI. 1.), τῆς ὕλης, παραδίδωσι, καὶ ἕνα τὸν τούτων δημιουργόν, ὃν ἀριστοτέχναν πατέρα λέγει, τὸν καὶ τὰς προκοπὰς κατ' ἀξίαν εἰς θεότητα παρεσχημένον. Alii ea potissimum loca Pindari, quae sunt de vita post mortem futura, a Pythagoreorum decretorum fonte fluxisse arbitrantur, alii ad mysticam disciplinam Orphicorum illis vetustiorem confugiunt. Illud certe haudquaquam opus est, ut statuamus Pythagorae quosdam asseclas disiecto sodalitio suo ex Italia profugos adisse Boeotiam, quorum familiaritate sua dogmata edoctus sit Pindarus. Omnino quae de vita beatorum cecinit poeta nec iam certae cuiusdam scholae philosophorum — quos ἀτελῆ σοφίας καρπὸν δρέποντας vilipendebat — illa aetate propria erant, immo dudum sapientissimi cuiusque mente volutata, nec ita comparata, ut in unam aliquam speciem persuasionis iurasse poetam dicas. Etenim opiniones suas ad eorum, quibus carmina sua destinabat, opinationes religionesve accommodabat singulorum. Sic temporibus serviens fr. Thren. 1. Elysii Homerici suavitatem adumbrat, cui fr. 4. metempsychosin adiungit; alias vires animumque moresque aureos educit in astra nigroque invidet Orco, alias Orci tenebras non invidet mortuis. Cf. Welcker. Mus. Rhen. 1833. II. p. 121. Adeo sibi non constat poeta. Conferendi sunt qui haec uberius pertractarunt Lobeckius Aglaoph. p. 801 seqq., Brandis. Hist. philos. Graecor. et Romanor. I. p. 88 seq., Preller. de Cerer. et Proserp. p. 239 seq. et Muellerus Hist. Litt. Graec. I. p. 413 seqq. Denique Eleusiniis initiatum fuisse Pindarum ex istorumque doctrina

quaedam fortasse ducta carminibus inspersisse arguit Threnorum fr. 8. in Atticum hominem, ut consentaneum est credere, scriptum.

Haec de praeceptoribus et disciplina Pindari dicenda habui. Nunc paucis complectamur poesis Pindaricae initia atque progressus. Et hymnum quidem illum ob mythorum profusionem a Corinna notatum grammatici tanquam primum praecocis ingenii fetum agmen hymnorum collectionis ducere iusserant. Ex illo antiquissimum carmen est Pyth. X. Olymp. LXIX, 3. a viginti annorum adolescente Hippocleae Pelinnaeensi diaulo inter pueros Pythiis ludis victori scriptum, in quo quaedam tamen exuberantis copiae vestigia residere ipse Boeckhius concessit Expll. p. 330. Sequitur carmen Pyth. VI., quod annos XXVIII. natus Xenocrati Agrigentino per filium Thrasybulum curru Pythiis victori scripsit Olymp. LXXI, 3. Omnino ex tabulis chronologicis Boeckhii intelligitur, priora carmina epinicia Pythiorum solemnium victoribus dedicata fuisse, unde observes Delphici templi Delphicique Apollinis sacra Thebanis vicina in excitandam conformandamque Pindari facultatem poeticam aliquam vim exercuisse. Immo vero ex antiqua Delphorum lingua Pindarus pariter atque Hesiodus quasdam dialecti proprietates assumpsisse videtur; v. Ahrens de Dial. Dor. p. 357. Delphico deo quam coniunctus per omnem vitam manserit, infra scripsimus.

Vixit Pindarus ea aetate, quae ut ab epici carminis simplicitate paulatim desuescebat, ita a religione deorum haudquaquam degeneraverat. Nec veteres poetae lyrici ex despicientia deorum religionumque profanatione sibi laudem accrescere opinabantur. Immo ut quisque deos maxime coleret vetustisque gentis suae heroibus praeconia sua dederet, ita popularibus suis erat acceptissimus. Ea mens Pindari, ut quae de diis heroibusque fabulae hominum ferrent cum fide susciperet, nisi quod ea procul esse voluit, quae deorum sanctitati parum convenire viderentur. Ipse profitetur: *ἐστὶ δ' ἀνδρὶ φάμεν ἐοικὸς ἀμφὶ δαιμόνων καλά.* Quapropter ea potissimum ex mythis delibavit, quae moralem usum habitura essent. Neque illa de deorum sanctitate persuasio ad ostentationem assumpta, sed medullitus insita fuit a puero, quem quidem vel nascentem benigne respexisset Apollo, recens natum, ut eximie fingit pictor apud Philostr. Senior. Imagg. II, 12., Magna Mater honorifice salutasset et Pan cum Nymphis choreas ducendo honoravisset. Nimirum iis numinibus se prae ceteris addictum fuisse ait ipse Pyth. III, 77:

Ἀλλ' ἐπεύξασθαι μὲν ἐγὼν ἐθέλω
Ματρί, τὰν κοῦραι παρ' ἐμὸν πρόθυρον σὺν Πανὶ μέλπονται θαμὰ
Σεμνὰν θεὸν ἐννύχιαι.

Igitur iam ante Olymp. LXXVI, 3., quo pertinet illud carmen, Matri Magnae delubrum sacraverat Pindarus. De qua re antequam explicemus, de interpretatione verborum dicendum est. Duplex enim loci interpretatio prostat in Scholiis nec nostris interpretibus convenit. Alii Magnam Matrem una cum Pane celebratam intelligunt a virginibus Thebanis per mysteria noctu acta; contra alii Magnam Matrem a Pane cum Nymphis iuncto cantatam defendunt. Priorem sententiam Dissenius amplectitur, altera Weckero ad Philostrat. p. 465. omnes habere numeros veritatis visa est. Cui prorsus assentior. Quippe vel collocatio verborum suadet eam interpretationem, quae *κούρας* a Pane non divellat. Nymphae autem quod *κουρῶν* appellatione simpliciter designantur, ipsa coniunctione cum Pane recto intellectui prospectum ivit poeta. Similiter Theodoridas Anth. Pal. VI, 156. Leonid. Tarent. Epigr. LVI, 4. CVIII, 3. Meinek., quem vide ad Moerus Byzantiae verba in Delectu Epigramm. p. 100. Neque vero virginibus Thebanis decorum fuerit noctu Parthenia vel Metroaca in honorem Deae cantare; nec illud iure in hac explicatione vituperatur, quod Nymphae commercia cum urbicis hominibus locisque detrectent. Immo cum ipsius deae in montibus saltibusque coli solitae sacellum in urbe exstructum esset, ne Nymphas quidem fas erat urbem refugere, noctu quidem, quo tempore cum Pane choreis ludere consuessent. Postremo tabula picta praeclare huic sententiae favet: *ἐλέγοντο δὲ καὶ* (praeter sonum tympanorum in delubro Rheae concussorum) *αἱ Νύμφαι χορεῦσαί οἱ καὶ ἀνασκιρτῆσαι τὸν Πᾶνα.* Et paulo post: *Ἄγει καὶ τὰς Νύμφας ἐνδρόσους καὶ οἵας ἐκ πηγῶν. Ὁ δὲ Πὰν ἐξορχεῖται μὲν ῥυθμὸν δή τινα.*

Pan tanquam *μεγάλας θεοῦ κύων παντοδαπὸς* Matrem comitatur. Quorum numinum cultus Pindaro domesticus utrum, quo Philostratus vocat, a maioribus poetae traditus fuerit, an, quod Scholiastae testantur, certam aliquam ob causam ab ipso demum institutus sit, firmare non ausim. Narratiunculae variae exstant: Aristodemi in Scholl. Pyth. III, 137. haec sunt: *Ὀλύμπιχον αὐλητὴν διδασκόμενον ὑπὸ Πινδάρου γενέσθαι κατὰ τὸ ὄρος, ὅπου τὴν μελέτην συνετίθει, καὶ ψόφον ἱκανὸν καὶ φλόγα ἰδεῖν καταφερομένην. Τὸν δὲ Πίνδαρον ἐπαισθόμενον συνιδεῖν Μη-*

τρὸς θεῶν ἄγαλμα λίθινον τοῖς ποσὶν ἐπερχόμενον, ὅθεν αὐτὸν συνιδρύσασθαι πρὸς τῇ οἰκίᾳ Μητρὸς θεῶν καὶ Πανὸς ἄγαλμα· τοὺς δὲ πολίτας πέμψαντας ἐς θεοῦ πυνθάνεσθαι περὶ τῶν ἐκβησομένων· τὸν δὲ ἀνειπεῖν ἱερὸν Μητρὸς θεῶν ἱδρύσασθαι· τοὺς δὲ ἐκπλαγέντας τὸν Πίνδαρον διὰ τὸ προειληφέναι τὸν χρησμὸν ὁμοίως τῷ Πινδάρῳ ἐκεῖσε τιμᾶν τὴν θεὸν τελεταῖς. Oraculum igitur de solo Magnae Matris delubro admonet: Panis, *Ματρὸς Μεγάλας ὀπαδοῦ*, *ἄγαλμα* simul dedicatum iri sponte patebat. Neque Pausanias quidquam de aliquo Panis delubro, quod quidam commenti sunt: Dircen transgressus vidit ruinas aedium Pindari et matris Dindymenae sacellum, cuius statuam deae a Pindaro votam confecerant Aristomedes et Socrates Thebani, Paus. IX, 25.

Piissimi poetae amorem Pan ipse miraculo quodam Pindaro ostentato luculenter prodidisse fertur. Quippe conspectus dicitur Pan inter Cithaeronem et Heliconem, cum paeana Pindari vel aliud nescio quod carmen cantaret. Quem honorem poeta carmine in Panem composito remuneratus creditur. Initium exstat Parthen. fr. 2., quod carmen a grammaticis inter *τὰ κεχωρισμένα τῶν Παρθενίων* relatum fuit:

Ὦ Πὰν Ἀρκαδίας μεδέων καὶ σεμνῶν ἀδύτων φύλαξ,
Ματρὸς Μεγάλας ὀπαδός, ἁγνᾶν Χαρίτων μέλημα τερπνόν.

Compara Eustath. 27. p. 18. Vratisl. p. 9. Metr. 19. et quae congessit Boeckhius Fragmm. p. 591 seq. Mihi ista et ex Pythiorum loco et ex Parthenio illo ad augendam optimi vatis gloriam a grammaticis conficta et ingeniose conficta videntur. Ceterum si credere liceret hereditarium quendam familiae Pindaricae cultum illum fuisse, haberemus unde tibiarum potissimum studium explicaremus. Nam ista numina ex Phrygia in Graeciam advecta tibiarum cantus secum attulerant. Et in auletica arte quanto opere Boeoti praestiterint reliquis Graecis, si excipias Argivos, pervulgatum est.

Praeter Magnam Matrem Iovi Ammoni a gente Aegidarum insigniter culto dedicarat statuam a Calamide factam, Paus. IX, 16, 1. Idem Ammoniis Libyae misit hymnum in Iovem, quem vidit Pausanias in columna *τριγώνῳ* iuxta aram a Ptolemaeo Lagi deo sacratam, l. c. Cf. Hymn. fr. 7. coll. Boeckh. Oecon. Ath. II. p. 258. Muelleri Orchom. p. 358. De singulari Ammonis Iovis favore, quem sub finem vitae expertus Pindarus dicitur, infra disputavimus. Denique Thebis Apollinem Boedromium et Mercurium *Ἀγοραῖον* statuerat, Paus. IX, 17, 1., coll. Eustath. 27. p. 17. Cuius verba haec sunt: *Διὰ τὸ θεοφιλὴς δόξαι καὶ*

τιμῆς πολλὴν περιουσίαν ἔσχεν ἐν Ἕλλησιν. Ἀπόλλων γοῦν οὕτω, φασίν, αὐτὸν ἐφίλει, ὥς καὶ μερίδα λαμβάνειν ἐκ τῶν θυομένων ἐκείνῳ καὶ τὸν ἱερέα δὲ βοᾶν ἐν ταῖς θυσίαις· Πίνδαρος ἐπὶ τὸ δεῖπνον τῷ θεῷ. Καὶ ἄλλως· Πίνδαρος ἴτω ἐπὶ τὸ δεῖπνον τοῦ θεοῦ. Κατὰ δὲ ἄλλους ἐν Δελφοῖς κλείειν ὁ νεωκόρος μέλλων τὸν νεὼν κηρύσσει καθ' ἡμέραν· Πίνδαρος ὁ μουσοποιὸς παρίτω πρὸς τὸ δεῖπνον τῷ θεῷ. Eodem feruntur Vrat. p. 9. Thom. p. 4. Ineptius Metr. 17. cibi vinique portiones semper Delphis Thebas missas comminiscitur. Neque satis probabiliter Paus. IX, 20, 2: Εὐδοκιμοῦντα αὐτὸν ἤδη ἀνὰ πᾶσαν τὴν Ἑλλάδα ἐς πλέον δόξης ἦρεν ἡ Πυθία ἀνειποῦσα Δελφοῖς, ὁπόσων ἀπήρχοντο τῷ Ἀπόλλωνι, μοῖραν τῷ Πινδάρῳ τὴν ἴσην ἁπάντων νέμειν. Accuratius reique naturae congruenter Plutarchus de Ser. Num. Vind. 13. refert Pythiam de Theoxeniorum epulis Pindaro portionem dari iussisse, quem honorem ad posteros poetae durasse: Ἀναμνήσθητι τῶν Θεοξενίων καὶ τῆς καλῆς ἐκείνης μερίδος, ἣν ἀφαιροῦντες τοὺς Πινδάρου κηρύττουσι λαμβάνειν ἀπογόνους. Quos ἀπογόνους Pindari erraverit qui cum Prellero ad Polemon. p. 68. cum ἀπογόνοις Ὁμήρου comparandos putabit, nisi forte Arrhiani narrationem de posteris poetae ab Alexandro clementer habitis eodem modulo metiemur.

Poetam Delphos frequentasse carmina loquuntur. Habuit ibi sellam ferream, in qua, quoties Delphos inviseret, cantaret quae in Apollinem pepigisset carmina; v. Paus. X, 24, 4. Carmina enim sacrificabat Deo, quippe ἄκαπνα θύων, ut poeta: quo spectat dictum eius apud Eustath. 31. p. 23: Δελφόσε ἐρωτηθεὶς τί πάρεστι θύσων, Παιᾶνα εἶπε. Simul sella illa arguit rudem cantus haudquaquam fuisse Pindarum, quod prave ex re non satis perspecta confinxerunt veteres; v. Eustath. l. c. p. 24.

Hactenus de Pindaro cultore deorum. Restat, ut videamus, quomodo cum hominibus suae aetatis versatus sit. Mos fuit lyricorum poetarum omnes Graeciae terras peragrare, ut deos hominesque carminum suorum dulcedine permulcerent, sive in publicis civitatium solemnibus sive in privatis comissationibus. Dona et munera accipere et vel certam pecuniam pro pangendo carmine pacisci citra invidiam fuit. Opera enim poetarum Graecis hominibus in vitae quotidianae usibus ponebantur et ut medici et technici, ita τέκτονες ὕμνων accensebantur τοῖς δημιουργοῖς. Pindarus in hanc consuetudinem aetatis suae suaviter iocatur Isthm. II. init. Nec turpilucricupidus censebatur qui

munera et pecuniam sectaretur, modo a Simonidea avaritia abstineret.

Habitabat Pindarus Thebis (*τᾶς ἐρατεινὸν ὕδωρ πίομαι*, Olymp. VI, 85. coll. Pyth. IV, 298.), unde frequenter vel ad ludos sacros spectandos vel principes viros exterasque civitates salutaturus excurreret. Ex quibus nulla ipsi dilectior videtur fuisse quam Athenae, nutrices ingenii sui, quae urbs post pugnas Marathoniam et Salaminiam haud dubie principatum tenuit Graeciae. Nec dubitavit Pindarus Athenienses ob fortissima facta in bellis Persicis exhibita magnificis efferre laudibus, quamvis a populari imperio pariter atque ab tyrannide animum gereret alieniorem et Doriensibus potissimum institutis civilibus unice delectaretur. Sed mens poetae integerrimi pravo partium obsequio libera iudiciique sui compos neque caeco partium studio Musam suam dedidit et quicquid in singulis vel civitatibus vel hominibus laudabile et praeconio suo dignum reperiebat, ei carminum suorum veneres impertire solebat. Igitur ut tyrannos celebravit, ita nec liberarum civitatium laudationi defuit. Vide quae Guil. Wachsmuthius disserit de Pindaro reip. constituendae et gerendae praeceptore disputat. II. p. 18 seqq. (edita est Kiliae 1824. 4.).

At Thebanos tamen suos a bellorum Persicorum communione absterruit, qui idem Athenienses victores identidem laudibus in coelum tollat! Ista culpatio est Polybii IV, 416., qui prave fecisse Pindarum criminatur, quod tempore belli Medici quietem commendasset civibus suis. A quo crimine facile est poetam patriae amantissimum defendere. En verba Pindari (fr. Hyporch. 125.):

Τὸ κοινόν τις ἀστῶν ἐν εὐδίᾳ τιθεὶς
ἐρευνασάτω μεγαλάνορος Ἁσυχίας τὸ φαιδρὸν φάος,
στάσιν ἀπὸ πραπίδων ἐπίκοτον ἀνελών,
πενίας δότειραν, ἐχθρὰν κουροτρόφον.

Quae omnia intestinarum turbarum calamitatem exagitant, quam a Thebanis propulsare nitebatur poeta. Meminerimus dici haec Thebanis ante pugnam Plataeensem Ol. LXXIV, 4., quo tempore optimates ad reipublicae gubernacula admoti favebant Medis, alii contra seditione mota Graecis opitulari conabantur; vid. Boeckh. Expll. p. 340. Quae discidia in perniciem eruptura universorum displicuere Pindaro, qui ubique ad quietem compositumque reipublicae statum cohortabatur, veluti de *Ἁσυχίᾳ*, quae ad domesticam concordiam spectat, admonet Olymp. IV, 16. Pyth.

I, 70. IV, 296. VIII. init. Tantum igitur abest, ut levitatis et Medismi nota inurendus sit, ut quovis pacto collaudaturus fuerit, si bellum adversus Medos unanimi consensu suscepissent et in eam laudis societatem venissent, quam cum Atheniensibus et Spartanis admirabundus communicabat poeta. Cf. Pyth. I, 75 seqq. fr. inc. 93. 94. et considera, quo moerore laboraverit poeta eo tempore, quo Isthm. VII. scripsit, h. e. paucis mensibus post pugnam Plataeensem. Videndi qui Pindari contra Polybium causam diserte egerunt Schweighaeuserus ad Polyb. l. c., Wachsmuth. l. c. p. 5 seq. et Boeckhius Indice scholarum Berolin. per semestre aestiv. ann. 1831.

Quamvis autem carmina Pindari plena sint laudum patriae urbis satisque pietatem erga matrem suam testentur [13]), cives tamen non ex merito honorasse poetam suum legimus. Nempe laudatis Athenis, a quibus vetusto odio dissidebant, de se suisque detraxisse conquerebantur [14]). Quapropter vel mulctam irrogasse dicuntur, quam pro Pindaro solverint Athenienses additis magni-

---

13) Thebas *λιπαρὰς* vocat Pyth. II, 3. et fr. inc. 106: *λιπαρᾶν Θηβᾶν μέγαν σκόπελον.* Fr. inc. 104: *Εὐάρματε, χρυσοχίτων, ἱερώτατον ἄγαλμα, Θήβα.* Isthm. I. init.: *Μᾶτερ ἐμά, τὸ τεόν, χρύσασπι Θήβα, Πρᾶγμα καὶ ἀσχολίας ὑπέρτερον Θήσομαι.* Fr. inc. 103, 4: *καὶ πολυκλείταν περ ἐοῖσαν ὅμως Θήβαν ἔτι μᾶλλον ἐπασκήσει θεῶν καὶ κατ' ἀνθρώπων ἀγυιάς.* Thebanis cum alia scripsit carmina, tum hyporchema illud ad Solem, quem in defectu sideris titubantibus civibus suis ut auxilio assit invocat, fr. Hyporch. 4. Propter vetustam Thebarum et Aeginae cognationem praeclarae insulae decora lubenter canit: Isthm. VII, 15: *χρὴ δ' ἐν ἑπταπύλοισι Θήβαις τραφέντα Αἰγίνᾳ Χαρίτων ἄωτον προνέμειν.* Ceterum Pindarus Nem. VII, 65. de semet ipso: *ἔν τε δαμόταις Ὄμματι δέρκομαι λαμπρόν, οὐχ ὑπερβαλών, Βίαια πάντ' ἐκ ποδὸς ἐρύσαις, ὁ δὲ λοιπὸς εὔφρων Ποτὶ χρόνος ἕρποι.*

14) Frequentavit Pindarus magnificam urbem, cuius olim alumnus fuerat. Veluti aliquando post pugnam Plataeensem urbe iam instaurata Nemea profectus Athenas est tempore veris, ubi divinum illum dithyrambum fr. 3. doceret. Liberalibus aliquando affuisse et in honorem Ionum quorundam, qui Athenas venerant, ut Eleusiniis initiarentur, duo composuisse carmina significat historiola Himerii Orat. XI, 4. p. 578. Eodem anno, quo pugna ad Marathonem commissa novo splendore illustravit Athenas, scriptum carmen Pyth. VII. Megacli quadrigis victori. Ibi vers. 5 seqq.: *τίνα πάτραν, τίνα οἶκον λαῶν ὀνυμάξομαι ἐπιφανέστερον Ἑλλάδι πυθέσθαι;* Victoriam ad Artemisium reportatam celebrat fr. inc. 93: *Ὅθι παῖδες Ἀθαναίων ἐβάλοντο φαεννὰν Κρηπῖδ' ἐλευθερίας.* Sed Thebanos maxime asperaverat, si credere licet, dithyr. fr. 4: *Ὦ ταὶ λιπαραὶ καὶ ἰοστέφανοι καὶ ἀοίδιμοι, Ἑλλάδος ἔρεισμα, κλειναὶ Ἀθᾶναι, δαιμόνιον πτολίεθρον.*

ficis honoribus. Eustathius 28. p. 20: Ἐχθρὰ δέ φασι φρονούντων ἀλλήλοις Ἀθηναίων καὶ Θηβαίων, ἐπεὶ ἔγραψέ που·

Ὦ ταὶ λιπαραὶ καὶ μεγαλοπόλιες Ἀθῆναι[15]),

κατὰ δέ τινας, ἐπεὶ ἔρεισμα Ἑλλάδος ἔφη τὰς Ἀθήνας, ἐζημίωσαν αὐτὸν Θηβαῖοι χιλίαις δραχμαῖς, ἃς ἐξέτισαν ὑπὲρ αὐτοῦ Ἀθηναῖοι ὡς φιλαττικοῦ. Accuratius Isocrates περὶ ἀντιδ. p. 304. Dind. (87. Orell.): Πίνδαρον τὸν ποιητὴν οἱ πρὸ ἡμῶν γεγονότες ὑπὲρ ἑνὸς μόνου ῥήματος, ὅτι τὴν πόλιν ἔρεισμα τῆς Ἑλλάδος ὠνόμασεν, οὕτως ἐτίμησαν, ὥςτε καὶ πρόξενον ποιήσασθαι καὶ δωρεὰν μυρίας αὐτῷ δοῦναι δραχμάς. Nihil is de mulcta a Thebanis exacta. De qua primus personatus Aeschines Epist. IV. p. 165. Dind.: Ἐζημίωσαν αὐτὸν Θηβαῖοι τοῦτο ποιήσαντα τὸ ἔπος, οἱ δὲ ἡμέτεροι πρόγονοι διπλῆν αὐτῷ τὴν ζημίαν ἀπέδοσαν, μετὰ τοῦ καὶ εἰκόνι χαλκῇ τιμῆσαι· καὶ ἦν αὕτη καὶ εἰς ἡμᾶς ἔτι πρὸ τῆς βασιλείου στοᾶς, καθήμενος ἐνδύματι καὶ λύρᾳ ὁ Πίνδαρος, διάδημα ἔχων καὶ ἐπὶ τῶν γονάτων ἀνειλιγμένον βιβλίον. (Contra Thebanos Pindarum suum ne statua quidem ornasse ait Athenaeus I. p. 19. B.) Adde Paus. I, 8, 5: Πίνδαρος ἄλλα τε εὑράμενος παρὰ Ἀθηναίων καὶ τὴν εἰκόνα, ὅτι σφᾶς ἐπήνεσεν ᾆσμα ποιήσας. Ceterum figmentum fuit Libanii Sophistae, qui declamationem scripsit in Thebanos, quod Pindarum propter carmen illud lapidibus scilicet obruissent; vid. Doxopater Crameri Ann. Oxx. IV. p. 155 seqq. Prorsus ut Phidian ab Eleis misere trucidatum in scholis exornabant rhetores citra vocem historiae et veritatis.

Plura igitur beneficia gratus animus Atheniensium contulit in Pindarum. Primum enim proxenia honoraverunt, ut Boeckhio iudice Isocrates ex ipso decreto ob eam causam facto tradit. Aliam proxeniam ipse commemorat Nem. VII, 65., ubi Dissenius gratuita ipsi per universam Graeciam ab Amphictyonibus data fuisse hospitia non immerito suspicari videtur. Deinde pecuniam ei pro illa aetate satis grandem dono dedere. Tertium statuam publice posuerunt. Sed eam non vivo poetae, sed post Aeschinis demum aetatem inclinatis iam rebus Atheniensium positam Boeckhius p. 19. diversis argumentis efficit. Nam Pindari aevo morem statuas clarorum hominum publice ponendi nondum fuisse pervulgatum et post Solonem Harmodiumque et Aristogitonem primum Cononem eo honore affectum esse; cf. Oecon. Civ. Att. I. p. 265. Deinde omnia signa, quae ad porticum regiam fuere,

---

15) Admiscuit Eustathius μεγαλοπόλιες Ἀθᾶναι ex Pyth. IX. init.

Cononis, Timothei, Evagorae, aliorum, fuisse recentiora; v. Paus. I, 3. Postremo silentium Isocratis esse disertum. Ego superioribus quidem argumentis aegre crederem, ultimo potissimum ad credendum impellor. Constat enim hodie etiam alia signa illustrium virorum iam superioribus temporibus Athenis erecta fuisse, veluti statuam Epicharini, Critiae et Nesiotae opus, certe ante Olymp. LXXXVI.; Diitrephis, Cresilae artem, Olymp. XCI, 3. Vide Lud. Rossii Lettre à Mr. Thiersch. n. 2. 3. eiusdemque *Ἐγχειρίδιον τῆς ἀρχαιολογίας τῶν τεχνῶν.* I. §. 109, 1. p. 140. Ceterum si multaverunt Thebani Pindarum, multaverunt plebeii, qui post pugnas Salaminiam atque Plataeensem Optimatibus de gradu suo depulsis rempublicam capessiverant; v. Boeckh. Fragmm. p. 580. Vel propterea autem de multato poeta licebit dubitare, quod parum credibile videtur, popularis imperii homines in laudatorem Atheniensium animadversuros fuisse. Ceterum Pindarum honores ipsi ab Atheniensibus tributi non usque eo occaecaverunt, ut quidlibet ausis assentaretur. Nam cum post illa tempora maiora spirantes nimis sese efferrent, praesertim Olymp. LXXX., et cum Aeginetarum rempublicam, Thebanis atque Pindaro carissimam, vexarent, spiritus eorum identidem per carmina sua repressit.

Carus erat Pindarus etiam regi Macedoniae, Alexandro, Amyntae filio, qui, ut Solino utamur Polyh. 14., „voluptati aurium indulgentissime deditus, plurimos, qui fidibus sciebant, in usum oblectamenti donis tenuit liberalibus, inter quos Pindarum lyricum." Cui regi, quem propter animum a Persis alienum, in Graecos propensum, *Φιλέλληνα* cognominabant, encomium scripserat poeta *πρόφαντος σοφίᾳ καθ' Ἕλλανας ἐὼν παντᾶ,* cuius reliquiae exstant fr. Encom. 3. 4., ubi v. Interpp. Quae laudes in Amyntae filium collatae etiam post obitum tulerunt fructus. Nam ea potissimum fuit causa, cur Alexander Philippi combustis Thebis et aedibus Pindari parci iuberet et posteris. Dio Chrysostomus Orat. de Regno II. p. 25: *Ἐπεμνήσθη τοῦ Πινδάρου διά τε τὴν λαμπρότητα τῆς φύσεως καὶ ὅτι τὸν πρόγονον αὐτοῦ ὁμώνυμον ἐπήνεσεν, Ἀλέξανδρον τὸν Φιλέλληνα ἐπικληθέντα.* Eustathius 28. p. 21: *Λέγεται καὶ, ὡς Λάκωνες ἐμπρήσαντές ποτε Θήβας κατὰ μάχην, ἧς ἦρξε Πανσανίας ὁ σφῶν βασιλεύς, ἀπέσχοντο μόνης τῆς οἰκίας τοῦ ποιητοῦ, ἰδόντες ἐπιγεγραμμένον τό·*

Πινδάρου τοῦ μουσοποιοῦ τὴν στέγην μὴ καίετε. *Τοῦτο δέ, φασί, καὶ Ἀλέξανδρος μετὰ ταῦτα πεποίηκε. Καὶ αὐτὸς γὰρ ἐμπρήσας Θήβας ἐφύλαξε τὴν οἰκίαν, ἢ καὶ εἰς πρυτα-*

νεῖον ὕστερον ἀπετελέσθη. Et aedes et posteros incolumes servasse ex fide historiae confirmat Arrhianus Exped. Alex. I, 9. De Pausania fabellam inde confictam merito explosit Boeckhius. Aedes Pindari prytaneum Thebarum factas esse propterea non credibile visum est Schneidero, quod Pausanias eas extra urbem sitas narret, prytanea autem in mediis urbibus exstruere consuevissent Graeci. Pausanias nonnisi *ἐρείπια οἰκίας* vidit: ergo verba dat Himerius Orat. XVIII, 3. p. 710: *Τίς εἰς Θήβας ἀφικόμενος πρὸ τῆς οἰκίας τῆς Πινδάρου τὸν οἶκον Τιμαγενίδου καὶ τῶν ἄλλων πλουσίων ἐν Θήβαις ἰδεῖν ἐζήτησεν;* Quanquam quaerere licebat.

Pindarus Pindarique carmina quanta in aestimatione apud plurimos populos Graeciae fuerint, multa argumento sunt. Veluti Cei, qui Bacchylidem haberent domi — nam Simonides tum iam decesserat — tamen Pindaro potius paeana prosodiacum mandaverant; v. Isthm. I. init., quod carmen Olymp. LXXX, 3. probabiliter assignant. Rhodii aureum carmen Olympicum VII. aureis literis perscriptum in templo Minervae Lindiae, communi delubro insulae, reposuerant publice; vid. Gorgo historicus Scholl. Vett. Inscript. Ol. VII. p 157. Aleuadis Thessalis quam placuerit, vel carmen Pyth. X. testatur. Fere Olymp. LXXVI, 4. poeta Hieronis Syracusani precibus cessit et ad tyrannum commigravit, qui olim Musis inimicus post diuturnum morbum mitigatus commercia poetarum atque sapientum cupidissime ambiebat. Simonidem iam antea spes munerum in Siciliam allexerat: tarde obtemperavit Pindarus, siquidem teste Eustathio 26. p. 17: *παρὰ Ἱέρωνι τῷ Συῤῥακουσίων τυράννῳ ἄμφω ἐγένοντο, ἀποδημήσαντες δηλαδὴ καθ' ἑτέρους καὶ αὐτοὶ σοφοὺς εἰς τὴν Σικελίαν. Καὶ μὴν πρὸς τὸ ἱστορηθὲν τοῦτο διαφέρεσθαι δοκεῖ τὸ περιφερόμενον. Λέγεται γὰρ, ὅτι Πίνδαρος ἐρωτηθείς, διὰ τί Σιμωνίδης μὲν πρὸς τοὺς τυράννους ἀπεδήμησεν εἰς Σικελίαν, αὐτὸς δὲ οὐκ ἐθέλει, ἔφη· Διότι βούλομαι ἐμαυτῷ ζῆν, οὐκ ἄλλῳ.* Cf. Vrat. p. 10. et Prolegg. Sim. Cei p. XX. In Sicilia Chromio Aetnaeo scripsit Nem. I. Olymp. LXXVI, 4., ut videtur. Anno post Olymp. I. scripsit Hieroni celete victori, Olymp. XII. Ergoteli Himeraeo, Nem. IX. Chromio. Sed Olymp. LXXVIII, 1. Agesiae Syracusani victoriam Olympicam Olymp. VI. Thebis videtur cecinisse, ut circiter quatuor annos Syracusis haesisse videatur. Diutius non toleravit auram aulicam. Exoriebantur rixae et discidia inter *ἄνδρας ἀμφὶ θαμὰ τράπεζαν παίζοντας*, ex quibus Simonidis compta morum sermonumque ele-

gantia tyrannum maxime devinxerat, cuius facilitatem aemuli austerior mens poetae Thebani haudquaquam aequasse videtur. Cui quidem εὐθυγλώσσῳ ἀνδρὶ adulatores, pessimum genus hominum, mirifice exosos fuisse carmina ad Hieronem scripta abunde confirmant. Igitur Thebas revertit, quo turbas civiles inter Siciliae tyrannos flagrantes aulicorumque malas artes effugeret.

Per omnem vitam Pindarus universae Graeciae admiratione et amore floruit, ob pietatem erga deos, comitatem erga omnes, integritatem denique et simplicitatem animi laudatissimus. Atque ut nascentem aspexerant dii, florentem tutati erant, ita ne moriturum quidem dereliquisse arbitrabantur veteres. Pulchrae de morte poetae feruntur narrationes, quas breviter perstringamus. Teste Eustathio 29. p. 21. φέρεται λόγος καὶ θεωρούς ποτε ἀπιόντας εἰς Ἄμμωνος αἰτῆσαι Πινδάρῳ οἷα φίλῳ τὸ ἐν ἀνθρώποις ἄριστον, καὶ θανεῖν αὐτὸν ἐν ἐκείνῳ τῷ ἐνιαυτῷ. Cf. Vrat. p. 9. Subiungit Eustathius similia singularis deorum favoris exempla Trophonium et Agamedem, Cleobin atque Bitonem. Concinunt ista fere cum Plutarchi narratione Consol. ad Apollon. p. 108. D seq., ex cuius de vita Pindari commentario haec ab auctoribus Eustathii compilata sunt. Nisi quod pro Ammonio Libyae Delphicum templum posuit Plutarchus. Quae diversitas facilem explicatum habet. Utrique enim deo poeta coniunctus fuit: Ammoni Iovi hymnum misisse tetigimus supra, de Delphico deo testimoniorum copia suppetit. Ipse Trophonii et Agamedis beatam sortem praedicarat in threno aliquo: ipse placidissima morte exstinctus est, credo, brevi post confecta in Iovem Apollinemque carmina. Hinc vel Ammo vel Apollo, in cuius solemni Pythio editus erat, dilecto vati gratificati videbantur. Sed in eo facile variabat opinio veterum, quod vel ipse deos precatus esset, ut sibi quod homini optimum esset tribuerent, vel theori, cum praesertim constaret poetam Ammoni misisse hymnum. Sic Suidas: Συνέβη αὐτῷ τὸν βίον τελευτῆσαι κατ' εὐχάς· αἰτήσαντι γὰρ τὸ κάλλιστον αὐτῷ δοθῆναι τῶν ἐν τῷ βίῳ, ἀθρόον αὐτὸν ἀποθανεῖν ἐν θεάτρῳ ἀνακεκλιμένον εἰς τὰ τοῦ ἐρωμένου αὐτοῦ Θεοξένου γόνατα, in quem ardentissimum cecinit scolium fr. 2. Eadem Hesych. Miles. p. 44. Orelli. Licet igitur narrationes de obitu poetae ex carminibus translatae in ipsum sint, satis tamen id ipsum aperit, quam honorifice de integerrimo vate suo senserint populares.

Non est praetereundum etiam aliam quandam famam de proximo ante mortem poetae tempore ferri. Dicitur enim Pro-

serpina per somnium Pindaro apparuisse seque ut carmine ornaret imperasse, quae sola ex omnibus diis nondum ab eo cantata sit. Obtemperasse illum: paulo post esse mortuum. Pausanias IX, 23, 2: *Λέγεται καὶ ὀνείρατος ὄψιν αὐτῷ γενέσθαι προήκοντι ἐς γῆρας. ἐπιστᾶσα ἡ Περσεφόνη οἱ καθεύδοντι οὐκ ἔφασκεν ὑμνηθῆναι μόνη θεῶν ὑπὸ Πινδάρου· ποιήσειν μέντοι καὶ ἐς αὐτὴν ᾆσμα Πίνδαρον ἐλθόντα ὡς αὐτήν. Καὶ τὸν μὲν αὐτίκα τὸ χρεὼν ἐπιλαμβάνει, πρὶν ἐξήκειν ἡμέραν δεκάτην ἀπὸ τοῦ ὀνείρατος. Ἦν δὲ ἐν Θήβαις γυνὴ πρεσβῦτις γένους εἵνεκα προςήκουσα Πινδάρῳ καὶ τὰ πολλὰ μεμελετηκυῖα ᾄδειν τῶν ᾀσμάτων. ταύτῃ Πίνδαρος ἐνύπνιον τῇ πρεσβύτιδι ἐπιστὰς ὕμνον ᾖδεν ἐς Περσεφόνην· ἡ δὲ αὐτίκα, ὡς ἀπέλιπεν αὐτὴν ὁ ὕπνος, ἔγραψε ταῦτα, ὁπόσα τοῦ ὀνείρατος ἤκουσεν ᾄδοντος. ἐν τούτῳ τῷ ᾄσματι ἄλλαι τε ἐς τὸν Αἵδην εἰσὶν ἐπικλήσεις καὶ ὁ χρυσήνιος· δῆλα ὡς ἐπὶ τῆς κόρης τῇ ἁρπαγῇ.* Pro Proserpina Eustathius et Vratisl. p. 9. nominant Cererem: scilicet utriusque deae vix dissociabilis laudes comprehenderat; v. Preller. de Cerer. et Proserp. p. 58. Pindarus videtur paucis ante mortem diebus somnio monitus — ut Socrates eandem ob causam fabulas Aesopias — hymnum illum composuisse, quod novissimum carmen propinqua ista post obitum eius in lucem ediderit. In illo hymno poetam somnium ipsum tetigisse suspicor: reliqua Pausaniae superstitioni relinquimus. Cf. Boeckh. ad hymn. fr. 8. p. 564.

Argis fato functum poetam ex vetere epigrammate narrat Eustathius 25. p. 16. et Vratisl. p. 10: *Τῶν Πινδάρου θυγατέρων μέμνηται καὶ ἐπίγραμμα παλαιὸν ἐκεῖνο·*

Ἦ μάλα Πρωτομάχη τε καὶ Εὔμητις λιγύφωνοι
ἔκλαυσαν, πινυταὶ Πινδάριαι θύγατρες [16]),
Ἀργόθεν ἦμος ἵκοντο, κομιζοῦσ' ἐνδόθι κρωσσοῦ
λείψαν' ἀπὸ ξείνης ἀθρόα πυρκαϊῆς.

Ἐν ᾧ δὴ ἐπιγράμματι οὐ δηλουμένου τοῦ πῶς ἐν Ἄργει θανὼν ὁ Πίνδαρος εἶτα ἐς τὴν πατρίδα ἐκεῖθεν ἐκομίσθη, ὅμως ἐστὶν ὑπονοῆσαι, ὅτι ἀπελθὼν εἴς τινα Πελοποννήσιον ἀγῶνα καὶ θανὼν κατ' αὐτὸ τὸ Ἄργος ἀπεδόθη ἐκεῖθεν πατρίδι νεκρός.

---

[16]) Eustathius pariter atque Vratisl. *Πινδάρου θυγατέρες* exhibent. Leniorem adhibui medicinam quam alii, qui transposuerunt: *Πινδάρου ἔκλαυσαν θυγατέρες πινυταί.* Elegantissima tamen coniectura A. Meinekii est Delect. Poett. Anthol. Graec. p. 239. haec:

Ἦ μάλα Πρωτομάχα σε καὶ Εὔμητις λιγύφωνοι
ἔκλαυσαν πινυταί, Πίνδαρε, θυγατέρες.

Mihi tamen quam supra posui scriptura satisfacit.

Probabiliter Eustathius; et sic Boeckhius ante editum Eustathium iudicaverat. Nam cum Suidas obisse in theatro scribat, Valerius Maximus IX, 12, 7. in gymnasio, suspicatur Boeckhius ludorum spectandorum gratia in Peloponnesum profectum repentino esse fato oppressum in ipso certaminum loco, qui et theatrum et gymnasium dici potuerit. Et cum Argis obisse narretur, in Heraeis sive Hecatombaeis mortem contigisse putat, ad quos ludos concelebrandos filias secum adduxerit. Eae cineres Thebas reportarunt, ubi sepulcrum in hippodromo ante portas Proetidas vidit Pausanias IX, 23, 2. Scimus enim clarorum hominum peregre mortuorum ossa haud raro a patriis civitatibus ambitiose repetita et religionis causa vel e remotioribus locis domum reportata, cuius rei exempla plurima collegit C. Keilius Analectt. Epigraph. et Onomatolog. 1842. p. 34 seq. Minime autem audiendus est R. Ungerus Theb. Parad. I. p. 302., qui, postquam Thebis obisse Pindarum plures auctores referre non vere scripsit, fraude grammaticorum rei narrationem depravatam censet. Nempe nescivisse illos in Boeotia Argos appellari urbem regionis ad Euboicum mare vergentis, quam praeterfluebat Asopus; v. Strabon. IX. p. 404. Hesych. s. v. Ἄργος Τάντιον. Nollem eo delatum virum moleste doctum. Nam et Epigrammatis auctor ξείνην πυρκαϊὴν profecto confingere non potuit neque Pindarus senex gymnasium aut theatrum ignobilis oppiduli aditurus erat, etiamsi gymnasium aut theatrum ibi fuisse largiri in animum induxeris.

Pindarum poetarum Graeciae lyricorum principem exstitisse communis est et consentiens vox veterum. Ut Homerus simpliciter ὁ ποιητής, Aristophanes ὁ κωμικός, Thucydides ὁ συγγραφεύς, ita Pindarus prae ceteris ὁ λυρικός vocitatus est; v. Eustath. Hom. Il. p. 4, 8. Nunc carminum historiam paucis complectamur, in quibus vel digerendis vel emendandis explicandisque infinita quaedam copia doctissimorum hominum antiquitus desudavit. Quae antequam ad criticam normam castigarentur et interpretandis vel singulis verbis vel rebus historicis et mythicis declarandoque fini et proposito poetae intellectui hominum subveniretur, primum quae sparsa ferebantur contrahenda erant, contracta singularum classium discrimine disponenda. Nam quod Quintilianus Inst. Orat. VIII, 6, 71. et Servius Aen. X, 738. poetam ipsum Ὕμνων, Παιάνων rell. nomina singulis libris in-

scripsisse loquuntur, suae aetatis consuetudinem prave in Pindarum nihil tale molitum conferunt. Etenim ab Alexandrinis demum quae ad illud tempus dispersa erant collecta et in ordinem redacta constat. Tametsi iam antea de singulis quibusdam partibus carminum commentariolos confectos novimus ab iis, qui rebus Pindari indagandis enarrandisque operam dabant. Veluti Chamaeleontis libellum de Pindaro supra consignavimus. Inter illos primum locum tenet Zenodotus Ephesius, conditae a Ptolemaeo Philadelpho bibliothecae Alexandrinae primus, ut creditur, praefectus. Qui quid praestiterit Pindaro, ex paucis eius vel scripturis vel coniecturis, quas memorant Scholl. Ol. II, 7. III, 52. VI, 91., aegre iudices. Iustam carminum recensionem primus instituit Aristophanes Byzantius, qui sub Ptolemaeis Euergeta et Epiphane maxime floruit, circ. Olymp. CXLIV. Primum is et Simonidea et Pindarica colis metricis distinxit; v. Dionys. Hal. de Comp. Verbb. 22. et 26. Quod negotium Aristophani interdum ad liberanda Pindari verba a glossematis iam tum ipsius verbis insertis profuit, veluti Ol. II, 48. vulg. *φιλέοντι δὲ Μοῖσαι* verba eiicienda intellexit. Omnino vestigia quaedam declarant vetusta Alexandrinorum exemplaria hic illic vitia habuisse ab ipsis demum emendata, velut Olymp. XI, 55. vulg. Pyth. IV, 195.; vide Boeckhii commentat. de crisi Pind. §. 22. Deinde Aristophanes potissimum, ut opinor, vetustam scripturam, quam exempla ante Alexandrinorum aetatem confecta, etiamsi partim iam ad vulgarem consuetudinem revocata fuerit, universe tenebant, in recentiorem scribendi normam transtulit. Reputemus aetate Pindari *E* et *ε* et *η* et *ει* significasse, *O* et *ο* et *ω* et *ου*, licet Pindarum interdum *ει* et *ου* his ipsis elementis scripsisse credibile sit. Ista *ἀρχαῖα γράμματα* quamvis Athenis inde ab archonte Euclide Ol. XCIV. publice expulsa Simonideo scribendi generi locum fecissent, Pindari tamen antiqua exempla a grammaticis demum accurate conformanda fuerunt. Ac resident etiamnunc quaedam *τῆς ἀρχαίας σημασίας* documenta; vid. Aristarch. Scholl. Nem. I, 24. Nem. III, 23. X, 62. et cf. quae diligenter exsequitur Boeckhius de crisi §. 16 seq. Tum Aristophani deberi videtur, quod septemdecim libris diversa genera Pindaricorum carminum comprehensa fuerunt. Nomina librorum illorum quoniam diversa traduntur a Suida et Vitae Vratisl. auctore in numero isto consentientibus, probabiliter Boeckhius duplicem exstitisse Pindaricorum carminum recensionem statuit, alteram simpliciorem Aristophanis, subtiliorem alteram Aristarchi. (Sic uterque Ana-

creontis carmina recensuerant post Zenodoti curas; v. Th. Bergkii Anacr. Reliq. p. 25 seq.) Vide de his classibus carminum Boeckh. Fragmm. p. 553 seqq. et qui Boeckhii disputationem uberrimam excerpsit Dissenium p. 603 seqq. Quanquam laudis illius aliquam tamen partem cum Callimacho, solertissimo tabularum conditore, communicandam esse meo iure sumere videor. A quo equidem alterutrum ordinem vel constitutum vel inchoatum statuo. Nam Callimachus ut vel singula epinicia Simonidis Cei ex generibus victoriarum ordinavit, puta *Τεθρίπποις*, *Δρομέσι*, rell. scripta iuxta collocans, ita similiter Pindarica pertractavit. Carmen Pyth. II. Callimacho Nemeum visum esse scimus; v. Boeckh. Praef. Scholl. p. X. Sed Aristophanem, qui tabulis Callimachi commentarios adiecit, accuratius omnia administravisse licet credere. Cuius ordinem epiniciorum quidem in consuetudinem abisse argumento est primo loco positum carmen Olympium, quem illi locum Aristophanes assignaverat; v. notam ad initium carminis ascriptam. Cum autem Callimachus Simonidea epinicia ex victoriis disposuisset, Aristophanes ita tenuit in Pindaricis, ut victorias in quatuor nobilissimis solemnibus reportatas ex dignitate victoriarum digereret. Praecedunt igitur carmina in curules equestresque victores scripta, sequuntur deinceps ea, quae pugilum, luctatorum, pancratiastarum, cursorum victoriis dicata sunt. Pythia claudit carmen tibicini scriptum, Nemea tres aliae odae non Nemeaeae; vide Boeckhii Praef. Expll. p. 19. In fine Isthmiorum aliquot carmina perierunt, quorum fragmenta quaedam supersunt.

Ratio temporum in componendis epiniciis habita non est: *οἱ διατάξαντες τὸν Πίνδαρον οὐ κατὰ χρόνους συνέτασσον αὐτόν, ἀλλὰ κατὰ τὰ εἴδη*, Scholl. Isthm. IV. inscr. coll. Scholl. Pyth. VI. inscr. (De iuvenili hymno in principio hymnorum reposito vidimus supra.) Sed de ipso genere saepe lis fuit inter grammaticos. Pythium II. alii Nemeis accensebant, Timaeo *θυσιαστήριον* vocabatur, Ammonio et Callistrato Olympium, aliis Panathenaicum, denique aliis Pythium. Quae sententia fuit Apollonii *τοῦ εἰδογράφου*, quem in generibus carminum etiam pro harmoniae diversitate dignoscendis singularem operam consumpsisse scimus; v. Boeckh. ad Schol. Pyth. II. inscr., qui eundem Apollonium commentarios Pindari edidisse censet Praef. Scholl. p. XIV. Quaedam epiniciis post Aristophanem demum videntur accessisse, ut Olymp. V. *ἐν τοῖς ἐδαφίοις*, quae Boe-

****

ckhius intelligit primitiva exemplaria ab Aristophane profecta, non legebatur: Didymi commentarii Pindaro tribuebant, Schol. Ol. V. init. Nemeaea carmina IX. X. XI. οὐκέτι Νεμεονίκαις γεγραμμένα κεχωρισμένως φέρονται, Schol. Inscr. Similiter accidit in Partheniis, ut quaedam carmina seorsum posita τὰ κεχωρισμένα τῶν Παρθενίων vocarentur; v. Boeckh. Praef. Scholl. p. XII.

Ab auctoribus tabularum (πινακογράφους dicimus) initium habuit aliquod institutum a posterioribus grammaticis solerter propagatum, ut ambitum vel singulorum librorum vel operum omnium ex numero versuum censerent eumque numerum in fine librorum subscriberent. Quae res quas rationes habuerit quamque salutaris fuerit, nuper Fr. Ritschelius meus docuit cum in elegantissimo libello, quem de Alexandrinis bibliothecis scripsit, p. 91 seqq., tum in scriptiuncula academica supplementi loco Bonnae 1840. edita. Nos Eustathii beneficio didicimus epiniciorum Pindaricorum mensuram, 34. p. 25: Ἐπινίκιοι, κατὰ τὴν ἱστορίαν ὡςεὶ τετρακιςχίλιοι. Qua memoria, hausta illa ex antiquioribus commentatoribus, Boeckhianae versuum descriptioni fides vetustatis conciliatur, iam aliis quibusdam veterum metricorum testimoniis ex Scholl. Vratisl. ductis stabilitae; vide Boeckh. Praef. Scholl p. XXXII. Nam novitia descriptio fere 5500 στίχους efficit, Boeckhiana circiter 3500. Iam si memineris in fine Isthmiorum aliquot carmina intercidisse, facile perspicies vel externo hoc argumento Boeckhianae doctrinae veritatem pulcherrime evinci.

Vel ante vel paulo post Aristophanis curas Pindaricas commentarios confecit Pindari carminum epiniciorum Chrysippus Stoicus, sub Euergeta et Philopatore Ptolemaeis clarus. Universam περίοδον Olymp. Pyth. Nem. Isthmiorum complexum docent notae passim in Scholiis servatae. Grammaticorum σημεῖα iam ante illum appicta singulis versibus exstitisse ex nota ad Isthm. III, 47. patescit. Ex discipulis Aristophanis interdum Callistratus et Diodorus commemorantur, de quibus praeter Boeckhium p. XIII. videndus est F. A. Wolfius Prolegg. Hom. p. CCXVI seq.

Iustam autem Pindaricorum editionem post Aristophanem unus Aristarchus paravit, qui, circa Olymp. CXLIII. sub Epiphane illustris, „etsi," verba Boeckhii sunt, „passim haud mediocria attulit, tamen neque interpretatione neque critica arte in

Pindaricis magnopere videtur excelluisse." Exstabant siglae eius textis appositae; v. maxime Scholl. Isthm. V, 47.

Ex Pergamenis Grammaticis inter Pindaricos interpretes eminent Crates Mallotes et Artemo, qui Sicularum rerum curiosissimus fuit; v. Boeckh. p. XIII. Inter Aristarchi sectatores de Pindari expositione bene meritos censentur Ammonius Alexandrinus, Aristodemus Eleus, cuius tertium librum *περὶ Πινδάρου* citat Athenaeus XI, 495. F., Menecrates; vid. Boeckh. p. XIII.

Adversarius Aristarchi Ptolemaeus Epitheta, illi *ἐπιθέσθαι* solitus, num in Pindarum commentatus sit, incertum est. Sed in Pindaro versatus est Asclepiades, non Tragilensis, *Τραγῳδουμένων* auctor, sed Myrleanus sub Philopatore clarus, qui etiam de Cratini Aristophanisque fabulis scripserat; v. Fr. X. Werferus Actt. Philoll. Mon. T. II, 4. p. 491 seqq. et Meinek. Hist. Crit. Com. Gr. p. 12. Praeterea Aristonicus, idem, quem post Lehrsium in Scholiis Venetis Iliadis agnovimus; Chaeris, Dionysius Phaselita, Dionysius Sidonius et quidam alii ignobiliores.

Prioribus palmam praeripuit *χαλκέντερος* ille Didymus Alexandrinus, Aristarcheus, cuius *ὑπομνήματα* in Paeanas et Epinicia celebrantur. Ex istis optima quaeque in Scholiorum veterum congeriem derivata videntur. Didymus ipse praecipuorum interpretum sententias apposuerat diiudicaratque. Hoc igitur Scholiorum nostrorum fundamentum, quibus postea plurima detracta, alia recens addita, multa ignavia describentium decurtata sunt et dissipata.

Quanquam in hanc quam manibus terimus Scholiorum silvam probabile est ex iis quoque interpretibus quaedam ascita esse, qui post Christum natum vetustiorum exemplum repetiverant. In quibus est Eleaticus Palamedes nominandus, cuius *ὑπόμνημα εἰς Πίνδαρον* citat Suidas s. v.; cf. acute disputantem Boeckhium p. XIX. De dialecto cum aliorum poetarum lyricorum tum Pindari scripserat Trypho Ammonii, Alexandrinus; vide Suid. s. v. His nunc addo tertium quendam grammaticum ex Appuleio de Orthogr. § 43: „Cyrenenses poetae dicuntur Battiadae Herodio (? v. Welcker. Cycl. Epic. p. 7.) et Proculo et Proclo Pindari enarratoribus." Sed vereor, ne impostor ludos faciat, qui satis stolide ex Proclo, quem eundem Proculum scribi constat, duos homines fecerit.

Ex illis fontibus fluxerunt duo quasi Scholiorum veterum rivuli. Altera enim eorum familia vulgatis Scholiis continetur, alteram efficiunt ea, quae in codice Vratislaviensi A miro modo mutilata et depravata perduravere. Unde primus edidit ex schedis E. Gerhardi et C. G. Schneideri Augustus Boeckhius. In utraque recensione multa comparent additionibus, mutationibus, omissionibus, confusionibus obliterata; v. Boeckh. p. XXIV seqq. Praeter Vratislaviensem librum, qui ad Olympia exhibet diversa Scholiorum *συντάγματα*, Boeckhio ad emendanda vulgata Scholia eximio usui fuit codex Gottingensis ad Olympia et Pythia, iam prius ab Heynio inspectus. Boeckhius praeterea collata editione Romana consultisque aliis libris deterioris notae omnem Scholiorum syllogen improbo et taedioso labore et congessit et digessit.

Grammaticos Alexandrinos eorumque asseclas excipiunt et saeculorum intervallo disiuncti et doctrinae exilitate angustiisque studiorum cum illis haudquaquam comparandi literati Byzantini. Quorum Scholia et loquaciora et ieiuniora ad sola Olympia pertinent. Antiquissimus eorum Eustathius est, qui, medio saec. XII. inclitus, *ἔτι ἐν διακόνοις ὢν Πινδαρικὰς παρεκβολὰς* concinnaverat, ad quas saepius in Homericis provocat; v. Boeckh. p. XXIX. Quas ipsas perisse dolendum est: prooemium, de quo supra dicebam, servatum laetamur. Pendet doctrina Eustathii a *παλαιοῖς* suis, quorum commentarii nostris copiosiores ipsi praeclaram materiem suggesserunt: verbositatem addidit de suo. Epinicia iam tum sola iactabantur, reliqua dudum oblivioni erant tradita: Eustath. 34. p. 24: *Ποιήματα πολλὰ γράψαι Πίνδαρος λέγεται, ὧν καὶ φέρονται οὐκ ὀλίγα, οὐ μὴν τὰ πάντα ὑπεμνηματισμένα.* Et statim post: *ἐπίνικοι, οἳ καὶ περιάγονται μάλιστα διὰ τὸ ἀνθρωπικώτεροι εἶναι καὶ ὀλιγόμυθοι καὶ μηδὲ πάνυ ἔχειν ἀσαφῶς κατά γε τὰ ἄλλα.* Priora ex vetustioribus servata, ipsius aetate praeter fragmenta aliorum carminum sola epinicia supererant. Ab Eustathio proximus est Thomas Magister, initio saec. XIV. celeber, qui Scholia vetera digessisse videtur. Hunc cum Pindaricis familiaritatem post editam demum Eclogam contraxisse observavit Fr. Ritschelius Prolegg. Eclog. p. CXVII. Sequuntur Manuel Moschopulus Cretensis, qui saec. XIV. exeunte vixit, et Demetrius Triclinius, qui saec. XV. Uterque Scholia conscripsit ipse, quae Boeckhius, quantum per librorum conditionem licuit, signis a se distinxit; v. Praef. p.

XXVII. Neuter horum verba poetae ad ea quae ipsis placebant decreta metrica et grammatica licenter corrumpere dubitavit. Alter et suis correctionibus saepius gloriatur et plaudit Moschopulo [17]); v. Boeckh. Praef. T. II. p. XXXV. et de Crisi §. 25.

Restat, ut de codicibus Pindari dicamus. Qui Olympia, plurimi, qui Pythia complectantur et Nemea, pauciores libri exstant: rara exempla Isthmiorum [18]). Aetate non magnopere commendantur, at universe arbitranti fide. Vetustissimum ferunt codicem Reg. Paris. 2403. (Par. A), qui saec. XIII. attingere perhibetur: Gottingensis sola Ol. et Pyth. offerens saec. XIV. scriptus est: longe plurimi saec. XV. non excedunt, sunt qui vel XVI. descripti videantur. Nolumus recensum exhibere omnium: ad Boeckhii Praef. Vol. I. remittimus accuratiora desideraturos. Iis codicibus, quos Boeckhius ibi enumerat, postea accessit collatio cod. Veneti saec. XV. scripti ab Imm. Bekkero facta; v. Nott. Critt. p. 344, libri satis boni, qui cum codice Aldi et Pal. C conspirare soleat. Sed sola Olympia exhibet. In Explicationibus Boeckhio praeterea ad manum erat accuratior collatio cod. Palatini C Olympia et Pythia complexi, quem iam ab Er. Schmidio inspectum nuper denuo accuratissime excussit scripturaeque discrepantiam cum notulis suis publici iuris fecit C. L. Kayserus Lectt. Pindaricis Heidelbergae MDCCCXL. Ex quibus apposui quae consilii nostri esse visa sunt; sed vereor, ne plura apposuerim quam opus fuerit. Pauca quaedam Kayserus bene emendavit. — Praeter Pal. C Schneiderus Boeckhio excerpta Brunckiani codicis Olympiorum,

---

17) Exemplo sit Triclinii annotatio in Moscov. B ad Ol. VIII, 10: *Πολλὰ ἐκαινοτομήθη τῷ σοφωτάτῳ Μοσχοπούλῳ κἀμοί, ὡς ἐξετάζων εὑρήσεις, ἀνοικείως ἔχοντα πρὸς τὸ μέτρον.*

18) Etenim Byzantinorum grammaticorum studia in angustiorem orbem coartata poetarum Graecorum quendam delectum habebant, quem glossulis suis explicarent. Hinc frequentia exempla praeter Homerica Hesiodi, maxime Operum, et Theognidis; aliquot fabularum Aeschyli, Sophoclis, Euripidis, Aristophanis; Phocylidis; Theocriti Idylliorum octo novemve priorum; Lycophronis Alexandrae; Arati Phaenomenon; Callimachi Hymnorum; Apollonii Argonauticon; Nicandri Alexipharmacon et Theriacon; Dionysii Periegetae, Oppiani Halieuticon et quorundam aliorum. Eodem pertinebant Pindari Olympia. Talia opera vocabant **τὰ πρραττόμενα**, h. e. lectione et interpretatione usurpata; v. Lobeck. Aglaoph. p. 567. Meinek. Hist. Crit. Com. Gr. p. 560. Cobet. Obss. Critt. in Plat. Com. p. 56.

G. de Humboldt quaedam ex octo libris Parisinis suppeditavit ad Pythiorum locos difficiliores; idem pauca ex quatuor codicibus Vindobonensibus delibavit; v. Prooem. Expll. p. 7. Ista Boeckhius raro in Expll. commemoravit, cum paucissima offerrent ex aliis bonis codd. non enotata.

Quotquot codices vel ante saec. XIV. scripti sunt vel ex vetustioribus postea derivati, textum exhibent veterem et levium coniecturarum violentarumque mutationum expertem. Qui recentiores sunt, fere verba monstrant ad eam formam conformata, quae in Scholiis recentioribus comparet. Sed hi libri rursus ita in diversa abeunt, ut partim Moschopuli recensionem, partim Triclinianam sequantur. Nam Thomae Magistri modestior manus fuit. Igitur veteris recensionis testes primarii, praeter Scholia vetusta, exstant codices Paris. A et Gottingensis, quibuscum in Olympiis consentiunt fere Aldinus liber, Palat. C, Moscov. A, August. B, Vatic., Cizensis paucique alii. Contra prorsus interpolatam verborum speciem suggerit maxime Moscov. B (Gottingensi bibliothecae ab Heynio donatus) et editio Romana in Olympiis. Mediam quandam viam libri insistunt a Moschopulo recogniti, quales sunt Palat. AB, Lips., Guelf. (qui liber bonis quibusdam peculiaribus conspicuus est), Cygn., Augustanus A, Bodleiani $\alpha\beta\gamma$, Leidenses AB; vide Boeckhii nott. critt. Ol. II, 29. In Nemeis Aug. tertius et Mediceus alter excellunt, minus praestant Mediceus prior, Paris. B et Aldina. Isthmiorum codices diversas recensiones non videntur sequi.

Verum, ut fieri assolet, istae codicum familiae in singulis libris contaminatione quadam inter se coaluerunt, ut ex altera in alteram quaedam migraverint. Veluti sunt qui in quibusdam partibus ad optimos aggregantur, cum alias interpolatorum ordini ascribendi sint. Sic in Pythiis in numero meliorum librorum sunt Bodl. C et Par. B, licet hic quidem metrici correctiones passus sit. Hinc intelligitur licere interdum vel ex deterioribus libris singulas scripturas repetere, contra maximo opere cavendum esse ab istorum deliciis librorum, quorum oratio ad metricae, prosodiae, syntaxis recentiorem normam licenter et praeter fidem Scholiorum veterumque codicum reficta est. Penitus autem reiiciendi codices scilicet Neapolitani ab Ahlwardtio ad tutandam scripturarum ab ipso excogitatarum auctoritatem advocati. Quos codices cum Boeckhius ad calcem Expll. et

in Commentat. de Crisi tanquam omni fide destitutos testes explosisset, postea patefactum est vere statuisse illos, qui ab Ahlwardtio ipso nefarie confictos coniecerunt. Videndus Freesii libellus de codd. Neapolitanis Pindari Stargardi 1835. editus.

Si quis editionum Pindari librorumque ad explicanda Pindarica spectantium accuratum indicem voluerit, eum ego ad praefationem Heynii ablego, vel ad bibliographorum opera recentiora. Ego quam fieri poterit brevissime significabo eos homines doctissimos eaque opera, quibus aliquid debet Pindarus.

Princeps omnium est editio Veneta, quae prodiit in aedibus Aldi et Andreae, Asulani soceri, MDXIII. forma octava, sine Scholiis. Praeter Pindarica complectitur hymnos Callimachi, Dionysium Periegetam, Lycophronis Alexandram. Secuta est editio Romana a Zacharia Callierga Cretensi curata anno MDXV. forma quarta, cum Scholiis veteribus et recentioribus. Hae editiones ita differunt, ut in Olympiis Aldinus textus Romano a correctionibus novitiis liberior sit, contra in Pythiis Romana editio ad germanam poetae scripturam propius accedat. Igitur cum veterum Scholiorum memoria in Olympiis Aldinae, in Pythiis Romanae fere convenit. Illa paene tota scriptum exemplar refert, Callierga interdum textum ex Scholiis emendavit.

Quae editiones per saec. XVI. decursum prodiere, eae ex Aldina Romanaque expressae sunt omnes, Cratandrina (Basil. 1526.), Brubachiana (Francof. 1542.), Moreliana (Paris. 1558.), Stephanianae saepe repetitae inde ab anno 1560., aliae. Singuli editores pauca de coniectura mutaverunt, felicius reliquis Iacobus Ceporinus, Cratandrinae corrector. Egregie de Pindaro meruit Erasmus Schmidius, cuius editio Vitembergae 1616. in lucem emissa est. De cuius opera per longam annorum seriem Thebano poetae navata Dissenius ita iudicavit: „Schmidius commentarium amplum doctumque scripsit, in eo vero erravit maxime, quod pro temporum illorum iudicio ad logicas et rhetoricas divisiones frigidissimas omnem in his carminibus tractationem et dispositionem rerum revocavit, quasi orationes ante oculos habeamus cum propositionibus, confirmationibus, confutationibus, digressionibus et quae sunt similia. Sane habet etiam poetica ars leges suas, sed alia est rhetorica, alia poesis." Sed vir integerrimus multa vitia priorum exemplarium sagaciter sustulit et amorem Pindari movit in Germania primus. — Post Schmidium Ioannes Benedictus,

medicus Salmuriensis, manum salutarem Pindaro admovit, qui nonnulla praeclare emaculavit. Prodiit eius editio Salmurii 1620. Quinque Bodleianorum codicum scripturis usi sunt editores Oxonienses, quorum editio Oxonii 1697. emissa Nic. Sudorii versionem Latinam offert. Anno 1747. Traiecti ad Rhenum I. Cornelius de Pauw Notas suas in Pindarica publicavit, quarum hodie exiguus usus est. Licet ne Pauwius quidem in emendandis quibusdam locis inscite egerit. „Successit" — Disseni verbis utor — „vir immortalis Heynius [anno 1773.], celeberrimus Pindari editor et interpres, qui Thebani poetae studium, per longam annorum seriem prorsus neglectum, primus in Germania suscitavit, nec solum locos plurimos rectius explicuit, sed etiam sensum praeclarum lyricae poesios attulit et magnificentiam horum carminum eximie perspexit. Sed quum tamen illo tempore nondum ut hodie de poesi veterum statueretur, multa frigida et tumida dixit, quae causis penitus perspectis recte habere sensisset. Nunc autem non tam perfectam iudicabat Pindari artem, quam revera est, et si quae offenderent, damnabat, non satis in consilium dictorum inquirens. Ad alteram vero Heynii editionem [Gotting. 1798—1799.], quatuor voluminibus comprehensam, praeclarae Godofredi Hermanni commentationes accesserunt, in quibus plurimi loci sagaciter explicati sunt. Ultima editio post mortem demum Heynii [cura G. H. Schaeferi] prodiit ann. 1817. Lips. ap. Vogel. Sed Heynii opera in Pindaro posita etiam aliorum inter nostrates studia excitavit. Sic I. G. Schneiderus Vitam Pindari scripsit Argentor. 1774. et Fragmenta collegit Argentor. 1776. In eodem numero Frid. Gedickius fuit, qui Olympica et Pythica in Germanicam linguam convertit; tum etiam Selecta carmina edidit Berolin. 1786. 8. [C. D. Beckii editionis Lips. 1792—1795. prodierunt duo volumina. Textum aliquoties bene correxit.] Laudandum etiam I. Gurlitti studium, qui per longam seriem annorum programmatis scholasticis Versiones Germanicas horum carminum cum Animadversionibus edidit, et licet non instructus omnibus, quibus opus est ad explicationem poetae difficillimi, multa tamen utilia notavit; in versiones autem nollem ad Gedickii exemplum exclamationes intulisset plurimas a Pindari gravitate alienas."

Heynii crisin haud leviter adiuverunt docti Itali, Mingarelli, commentationes metricae, qui multa sagacissime correxit. G. Hermanni et Aug. Boeckhii de Pindaro merita maiora

sunt, quam quae laudibus nostris egeant. Et Hermanno quidem tot debet Pindarus praestantissimas emendationes, quot alteri nemini. Commentationibus Heynianae editioni additis et disputationi de dialecto Pindari (Opusc. I. p. 245 seqq.) nuper accesserunt Emendationum Pindaricarum libelli academici duo editi Lipsiae 1834. repetiti Opusc. VII. p. 129 seqq. Pertinent emendationes ad carmina Pythia inde a tertio: nam de duobus prioribus disseruit in commentatione de Officio Interpretis, edita Lipsiae 1834., repetita Opusc. VII. p. 97 seqq. Augustus autem Boeckhius postquam anno 1809. de metris Pindari libellum edidisset, anno 1811. specimine emendationum in Pindari carmina vulgato iustae editioni prolusisset, inde ab anno 1811. usque ad 1822. duobus tomis carmina praeclare correcta et uberrimis commentariis explanata prodire iussit. In explicationibus conscribendis Dissenium socium sibi ascivit, qui Nemeorum et Isthmiorum interpretationem absolvit. Friderici Thierschii Versio cum introductione in Pindari carmina lectu perdigna duobus voluminibus Lips. 1820. prodiit. Tria carmina, Ol. II. VI. Pyth. I., docto commentario illustravit Simon Karsten Traiecti ad Rhen. 1825., Xenophanis, Parmenidis, Empedoclis reliquiis postea editis clarus. Dilucidationes Pindaricas scripsit vir doctissimus Th. L. Frid. Tafelius, quarum prius volumen Olympia et Pythia complectens prodiit Berolini 1824. et 1827. De quibus ita statuit Dissenius: „Dictionem poetae locis plurimis aliorum scriptorum congestis illustrare studet, ex quibus quae meis usibus apta videbantur notavi, alia omisi a Pindari interpretatione aliena. Omnino hic vir eruditus magis circa haec carmina quam in iis versari mihi videbatur, qui in interiorem rationem eorum non inquisiverit, atque etiam de fabularum usu et explicatione parum accurate statuat." — I. F. Boissonadii cura carmina Pindari ex recensione Boeckhii expressa sunt Parisiis 1825., additis brevibus notis, ex quibus quasdam repetii. Ipse Boeckhius eodem anno Lipsiae apud Weigelium Pindari verba denuo secundum dissertationem de Crisi Berolini 1823. castigata edenda curavit, quod exemplar nos pro fundamento criseos habuimus. C. L. Kayseri lectiones Pindaricas supra laudavimus: Friderici Heimsoethii Addenda et Corrigenda in Commentariis Pindari, quorum Pars Prior Bonnae 1840. exiit, non pauca ministrant, quibus singulorum locorum intellectus adiuvetur. Postre-

mo Theodorus Bergkius, vir mihi carissimus, carminibus Pindaricis in Corpus Poett. Lyricorum Lipsiae 1843. foras datum receptis et diversitatem scripturae subiecit selectam et brevibus annotationibus de correctione singulorum locorum sententiam suam declaravit. Ex emendationibus viri ingeniosissimi quasdam pulcherrimas in verba poetae inferre non dubitavi, reliquas vel simpliciter commemoravi vel paucis confutare studui.

C. T. Dammii Lexicon Homerico-Pindaricum post Duncanii operam nuper et emendatius et auctius repetivit V. Chr. Fr. Rostius meus, Lipsiae 1831 seq.

INDEX CARMINUM BOECKHIANUS.

OLYMPIA.

Olymp. I. Hieroni Dinomenis f. Syracusarum regi, celete Pherenico victori Olymp. 77. in victoriae sollemnibus in convivio Syracusis in aula regia cantatum, praesente tum Pindaro.

Olymp. II. Theroni Aenesidami f. Agrigentinorum tyranno, curru victori Olymp. 76. auriga Nicomacho, in victoriae sollemnibus Agrigenti cantatum.

Olymp. III. Eidem ob eandem victoriam, Agrigenti in Theoxeniis cantatum eodem fere tempore.

Olymp. IV. Psaumidi Acronis f. Camarinaeo, non equis, sed rheda mulari victori Olymp. 82. Olympiae cantatum, praesente tum Pindaro.

Olymp. V. Eidem ob eandem victoriam, eodem anno reduce Psaumide Camarinae in pompa cantatum.

Olymp. VI. Agesiae Sostrati f. Iamidae Syracusio, rheda mulari victori Olymp. 78. Stymphali cantatum post victoriam, Thebis missum.

Olymp. VII. Diagorae Damageti f. Rhodio, pugilatu victori Olymp. 79. in Rhodum insulam missum, post reditum in convivio Ialysi cantatum.

Olymp. VIII. Alcimedonti Iphionis f. Aeginetae, lucta inter pueros victori Olymp. 80. Melesia magistro, cantatum Olympiae in pompa.

Olymp. IX. Epharmosto Locro Opuntio, lucta victori probabiliter Olymp. 81. Opunte in sollemnibus victoriae cantatum.

Olymp. X. Agesidamo Archestrati f. Locro Epizephyrio pugilatu inter pueros victori probabiliter Olymp. 74. (cod. Vrat. Olymp. 76.), Olympiae cantatum, praesente tum Pindaro.

Olymp. XI. Eidem ob eandem victoriam, longo post victoriam intervallo Thebis in urbem Locrorum Epizephyriorum missum ibique in sollemnibus victoriae redeuntibus cantatum.

Olymp. XII. Ergoteli Philanoris f. Himeraeo, dolicho victori Olymp. 77. in Sicilia compositum, Himerae cantatum post reditum.

Olymp. XIII. Xenophonti Thessali f. Corinthio, stadio et quinquertio victori Olymp. 79. Corinthi cantatum in comissatione Iovi habita.

Olymp. XIV. Asopicho Cleodami f. Orchomenio Boeoto, stadio inter pueros victori Olymp. 76. Orchomeni cantatum in pompa Gratiis ducta, haud dubie a pueris.

PYTHIA.

Pyth. I. Hieroni Dinomenis f. Aetnaeo, Syracusarum regi, curru victori Pyth. 29. Olymp. 76, 3. Aetnae cantatum in comissatione apud Dinomenem Hieronis f.; post ipsam victoriam scriptum.

Carmen II. Eidem Hieroni Syracusio, quadrigis equorum pullorum victori Thebis in Heracleis s. Iolaiis, Thebis missum Syracusas in arcem regiam, probabiliter Olymp. 75, 4.

Pyth. III. Eidem Hieroni Syracusio, gratulandis celebrandisque Pythiis victoriis celete Pherenico Pyth. 26. et 27. (Olymp. 73, 3. et 74, 3) partis missum Thebis Syracusas imminentibus Pythiis Olymp. 76, 3.

Pyth. IV. Arcesilao IV. Batti f. Cyrenarum regi, curru victori Pyth. 31. Olymp. 78, 3. auriga Carrhoto; Damophili commendandi causa et victoriae celebrandae Thebis Cyrenas missum haud diu, ut videtur, post victoriam, ibique cantatum; sed post carmen quintum.

Pyth. V. Eidem ob eandem victoriam, Cyrenis ante quartum carmen in pompa victoriali ad Apollinis templum ducta cantatum, vel in via vel finita pompa.

Pyth. VI. In Xenocratis Aenesidami f. Agrigentini victoriam curulem Pyth. 24. Ol. 71, 3. ad Thrasybulum Xenocratis f. aurigantem, Delphicae comissationi destinatum.

Pyth. VII. Megacli vel Hippocratis vel Clisthenis f. Atheniensi, curru victori Pyth. 25. Olymp. 72, 3. Delphis, ut videtur, cantatum.

Pyth. VIII. Aristomeni Xenarcis f. Aeginetae, lucta inter pueros victori Pyth. 33. Ol. 80, 3. Delphis, ut videtur, scriptum praesente tum Pindaro, Aeginae cantatum.

Pyth. IX. Telesicrati Carneadae f Cyrenaeo, armato cursu victori Pyth. 28. Olymp. 75, 3. ante reditum Cyrenas scriptum et cantatum, fortasse Thebis.

Pyth. X. Hippocleae Phriciae f. Pelinnaeensi, diaulo victori Pyth. 22. Olymp. 69, 3. Pindaro annos XX nato; cantatum probabiliter in pompa a choro Crannoniorum, urbem Larissam ingrediente.

Pyth. XI. Thrasydaeo Thebano stadio inter pueros victori Pyth. 28. Olymp. 75, 3. Thebis cantatum in pompa ad templum Apollinis Ismenii ducta.

Pyth. XII. Midae Agrigentino tibiis victori Pyth. 24. vel 25. (Olymp. 71, 3. vel 72, 3.) Agrigenti cantatum in pompa.

N E M E A.

Nem. I. Chromio Agesidami f. Aetnaeo, curru victori post Aetnam Olymp. 76, 1 conditam; cantatum, ut videtur, Ortygiae Olymp. 76, 4. praesente tum Pindaro.

Nem. II. Timodemo Timonoi f. Atheniensi, pancratio victori, Athenis cantatum ante comissationem aliquo post pugnam Plataicam tempore.

Nem. III. Aristoclidae Aristophanis f. Aeginetae, pancratio victori tempore incerto; Aeginam transmissum diu post victoriam, redeuntibusque Nemeadis sollemnibus cantatum in convivio, quod in sacro loco Theario victoriae celebrandae causa habitum est, ante Aeginam Olymp. 80, $\frac{3}{4}$. ab Atheniensibus subactam.

Nem. IV. Timasarcho Timocriti f. Aeginetae, lucta inter pueros victori, Melesia magistro, tempore incerto, sed aliquo ante Olymp. 80. tempore. Aeginam missum, ibi ut in novilunio caneretur a choro puerorum pompam ducente.

Nem. V. Pytheae Lamponis f. Aeginetae, pancratio inter pueros victori, Aeginae cantatum. Victoria et oda priores sunt Isthmiis Phylacidae victoriis odisque Isthmiis quinta et quarta, ex quibus recentior in Olymp. 75, 3. referenda videtur. Itaque Pytheae victoria ante pugnam Salaminiam ponenda.

Nem. VI. Alcimidae Theonis f. Aeginetae, lucta inter pueros victori, Melesia magistro, unde carmen ad Olymp. 80. propius quam ad Olymp. 75. accedere videtur; Aeginae cantatum.

Nem. VII. Sogeni Thearionis f. Aeginetae, quinquertio inter

pueros victori Nem. 54. Olymp. 79, 4. carmen Aeginae cantatum.

Nem. VIII. Dinidi Megae f. Aeginetae, stadio bis victori, Aeginae cantatum in Aeaceo, Olymp. 80, $\frac{3}{4}$. Victoriae quando partae fuerint, non constat.

Carmen IX. Chromio Agesidami f. Aetnaeo, curru victori Sicyone in Pythiis; victoriam olim partam poeta post Aetnam Olymp. 76, 1. conditam celebravit, ubi in civitate recens instituta in pompa ante convivium carmen hoc cantatum, idque recentiori tempore quam Nem. I. adeoque probabiliter post Olymp. 76, 4. immo ipso anno Olymp. 77, 1., Pindaro in Sicilia versante.

Carmen X. Theaeo Uliae f. Argivo, lucta bis victori Argis in Hecatombaeis: carmen ibidem cantatum aliquo post victorias tempore, redeuntibus Hecatombaeis: sed ipsa tempora incerta.

Carmen XI. Aristagorae Arcesilai f. Tenedio, cantatum Tenedi in prytaneo, quum prytanis magistratum iniret Aristagoras, inter sacra, credo, adeundo muneri iuncta.

I S T H M I A.

Isthm. I. Herodoto Asopodori f. Thebano, curru victori, fortasse Olymp. 80, 3., Thebis haud dubie et scriptum et cantatum, quum poeta carmini Ceis faciendo intentus esset.

Isthm. II. Isthmiae curuli victoriae et aliis Xenocratis Aenesidami f. Agrigentini celebrandis scriptum, Thrasybulo eius filio per Nicasippum transmissum post obitum patris. Victoria contigit ante Olymp. 76, 1. adeoque non post Olymp. 75, 3.; carmen factum non ante Olymp. 77, 1.

Isthm. III. Melisso Telesiadae f. Thebano, post Nemeaeam equestrem victoriam Isthmiis pancratio victori, Thebis cantatum, aliquot fortasse post pugnam Plataeensem (Olymp. 75, 2.) annis.

Isthm. IV. Phylacidae Lamponis f. Aeginetae, pancratio Isthmiis secundum victori, probabiliter Olymp. 75, 3. Aeginae cantatum.

Isthm. V. Eidem Isthmiis primum victori pancratio; carmen scriptum post Nem. V. ante Isthm. IV. ante pugnam Salaminiam haud dubie, Aeginae cantatum in convivio apud Lamponem victoris patrem.

Isthm. VI. Strepsiadae Thebano, pancratio victori; carmen Thebis cantatum; tempora incerta, ex diversis tamen rationibus ea mihi maxime probabilis, ut victoria et carmen in Olymp. 81, 1. differantur.

Isthm. VII. Cleandro Telesarchi f. Aeginetae, pancratio Isthmiis et Nemeis victori; carmen scriptum paucis post Plataicam pugnam mensibus Olymp. 75, 2. et Aeginae cantatum statim, ut videtur, post Nemeaeam victoriam; Isthmia victoria non post Olymp. 75, 1., Nemeaea non post hiemem Olymp. 75, 2. contigit.

INDEX TEMPORUM.

Olympiadum initium a. Chr. 776. anno Olympico primo mense primo, Hecatombaeone Attico d. XI — XV. (Corsin. Diss. agon.)

Pythiadum initium Olymp. 48, 3. (v. Introd. ad Olymp. XII.) incipiente mense Attico Munychione, Olympici anni decimo (Corsin. Diss. agon.).

Nemeadum initium secundum Eusebium Olymp. 53, 1. vel potius Olymp. 53, 2. Incidunt enim in Olympicos annos 2. et 4. (Corsin. Diss. agon.), aestivae in annum 4. et mensem Olympici anni secundum, Metagitnionem Atticum d. XII. hibernae actae hieme exeunte anni 2. (v. Appendicem commentationis nostrae de Demosth. Mid. temp. in Comm. Acad. Berol. a. 1818.).

Isthmiadum numerus ne unus quidem a Pindari interpretibus affertur. Dies definiri posse Corsinus putabat Diss. agon. IV, 3 seqq., quem refutavi ad Olymp. IX, 86 seqq. Alterae incidebant in Olympici anni 1. incipientis aestatem, alterae vere vel sub aestatem Olympico anno 3. exeunte agebantur (Corsin. ib. IV, 5.).

Olymp. 64, 3. Pyth. 17.

Pindarus natus mense Attico Munychione incipiente, in ipsis Pythiis.

Olymp. 68, 3. Pindarus annos sedecim natus.

Si is puer Athenis choros cyclios docuerit, circa hunc id annum posuerim.

Ad idem tempus usque ad vicesimum annum referenda videntur quae de studiis poetae, maxime de Corinnae familiaritate traduntur.

Inter prima carmina pertinet Hymnus primus (Fragm. Hymn. 1 seqq.) a Corinna reprehensus.

Olymp. 69, 3. Pyth. 22.

Hippocleas Pelinnaeensis diaulo inter pueros Pythiis victor, etiam stadio, ut traditur.

Pindarus vicenarius scripsit Pyth. X.

Olymp. 70, 1. Olympiae institutus et Olymp. seq., ut videtur, coeptus rhedae mularis cursus (v. ad Schol. p. 118., sed cf. ad Olymp. VI. Introd.).

3. Pyth. 23.

Delphis coeptus armatus cursus (Introd. ad Pyth. IX.).

Olymp. 71, 3. Pyth. 24.

Xenocrates Agrigentinus per filium Thrasybulum curru Pythiis victor.

Pindarus annos XXVIII natus scripsit Pyth. VI.

Midas Agrigentinus tibiis Pythia vincit.

Hoc anno vel Pyth. 25. Olymp. 72, 3. Pindarus scripsit Pyth. XII.

Olymp. 72, 1. Circa hoc tempus ad Helorum flumen Hippocrates Gelensium tyrannus operam navante Chromio, qui posthac Aetnaeus factus, devicit Syracusios (Nem. IX, 40.).

2. Gelo occupat Gelam (Introd. ad Olymp. II.).

3. Mense altero Olympici anni pugna Marathonia (Introd. ad Pyth. VII.).

Pyth. 25.

Curru Pythiis victor Megacles Atheniensis.

Pindarus scripsit Pyth. VII.

Tibiis Pythia iterum vincit Midas Agrigentinus (Introd. ad Pyth. XII.).

Gelo Camarinam restituit mox evertendam (Ad Schol. p. 121.).

Olymp. 73, 1. Gelo Gelensium tyrannus Olympiis curru victor (Introd. ad Olymp. I.).

Hiero primum Olympiis celete victor (ibid.).

Thero Agrigentum occupat (Introd. ad Olymp. II.).

3. Pyth. 26.

Hiero primum Pythia vincit celete Pherenico (Introd. ad Pyth. III.).

4. Gelo Syracusas occupat (Introd. ad Olymp. I.).

Olymp. 74, 1. Agesidamus Locrus Epizephyrius Olympia vincit lucta inter pueros (cod. Vrat. Olymp. 76.).

Pindarus scripsit Olymp. X. praesens tum Olympiae: sed longo tempore post factum est carmen Olymp. XI.

3. Pyth. 27.

Hiero Pythia iterum vincit celete Pherenico (Introd. ad Pyth. III.).

¾. Circa hoc tempus Thero Himeram occupat (Introd. Ol II.).

4. Vere ineunte incipit Xerxis expeditio in Graeciam.

Ad hunc annum refer Fragm. inc. 125. ex carmine Thebanis scripto.

Olymp. 75, 1. Athenae vastatae.

Mense Olympico tertio, Boedromione Attico, pugna Salaminia (Corsin. F. A. T. III. p. 164 seqq.).

Eodem tempore Carthaginienses et socii a Gelone fratribusque et Therone ad Himeram terra marique fusi (Introd. ad Olymp. II.).

Ante pugnam Salaminiam Nemea vicerat Pytheas Aegineta, et primum Isthmia Phylacidas Aegineta, quae victoriae celebrantur Nem. V. et Isthm. V.

2. Mense secundo Olympici anni, Metagitnione Attico, pugna Plataeensis et Mycalensis (Introd. ad Pyth. XI.).

Aetnae eruptio coepit (Introd. ad Pyth. I.).

Paucis post Plataicam pugnam mensibus Cleandro Aeginetae Isthmiis et Nemeis victori scripta oda Isthm. VII.

Post eandem pugnam, quam diu dubium, etiam Isthm. III. scriptum videtur.

Item post Persica Pindarus Nemeade hiberna anno Olympiadis incertae secundo Nemea Athenas profectus dithyrambos ibi docuit in Dionysiis (Dithyr. Fragm. 3. 4.), restitutis iam Athenis: mox a Thebanis pecunia multatur et ab Atheniensibus praemiis afficitur. Eo tempore, quo Nemea Athenas profectus erat, Timodemo eum carmen Nem. II. scripsisse coniicimus.

Bella Persica respiciuntur etiam Fragm. inc. 93. 94.

3. Pyth. 28.

Telesicrates Cyrenaeus Pythia cursu armato vincit.

Poeta scripsit Pyth. IX.

Stadio pueros vicit Thrasydaeus Thebanus in iisdem Pythiis.

Pindarus composuit Pyth. XI.

Isthmia pancratio vicisse videtur Phylacidas Aegineta secundum: quo pertinet Isthm. IV.

Hiero Geloni defuncto Syracusis succedit (Introd. ad Olymp. I.).

Ante Olymp. 76, 1. ac proinde non post Olymp. 75, 3. Xenocrates Agrigentinus curru Isthmia vicit (Introd. ad Pyth. VI. Nott. ad Olymp. II, 54 seqq.).

4. Dissensiones coeptae inter Hieronem et inter Polyzelum fratrem affinemque Theronem, mox compositae (Introd. ad Olymp. II. Pyth. II.).

Eodem fere anno Hiero Locros Epizephyrios armis Anaxilai Reginorum et Zanclaeorum tyranni eximit (Introd. Pyth. II.).

Hiero quadrigis pullorum Thebis vincit (ibid.).

Pindarus scribit Pyth. II.

****

Olymp. 76, 1. Thero Agrigentinorum tyrannus Olympia curru vincit.

Pindarus tum in Graecia versans scripsit Olymp. II. III.

Asopichus Orchomenius stadio inter pueros victor Olympiac.

Poeta in Graecia composuit Olymp. XIV.

Moritur Anaxilaus Regii et Zanclae tyrannus, cuius liberorum tutelam Smicythus suscipit (Introd. Pyth. II.).

Hiero Catanaeorum civitate sublata Aetnam condit (Introd. Olymp. I. Pyth. I.).

Post Aetnam conditam, ut videtur, scriptum Scolium Hieroni dicatum (Fragm. Scol. 5—7.).

3. Hiero Etruscos ad Cumas devincit (Introd. ad Pyth. I.).

Pyth. 29.

Ante Pythiadem Hieroni ex Graecia missum Pyth. III.

In ipsa Pythiade Hiero Aetnaeus curru victor renunciatus; cui tum scriptum Pyth. I.

Non ante hanc Pythiadem scriptum Hyporchema Pythiam eiusdem victoriam mulabus partam celebrans (Fragm. Hyporch. 1—3.).

Ergoteles Himeraeus Pythia cursu vincit (Introd. ad Olymp. XII.).

4. Hoc anno Chromio videtur Nemeaea victoria contigisse, et Nem. I. in Sicilia Pindarus scripsisse.

Thero adulto anno obit (Introd. Olymp. II. XII.). Igitur ante hoc tempus scriptum Encomium Fragm. 1. 2.

Theronis filius Thrasydaeus pellitur, Agrigentum et Himera liberantur: omnia vergente anno (Introd. ad Olymp. XII.).

Olymp. 77, 1. Hiero iterum celete Pherenico Olympia vincit.

Pindarus scripsit Olymp. I. in Sicilia apud Hieronem.

Ergoteles Himeraeus dolicho Olympiis victor.

Pindarus Olymp. XII. in Sicilia composuit.

Ibidem hoc anno Pindarus scripsit carmen Nem. IX. in Chromii victoriam Sicyone olim partam.

Non ante hunc annum scriptum Isthm. II. ad Thrasybulum Xenocratis f.

3. Pyth. 30.

Telesicrates Cyrenaeus stadio Pythiis victor (Introd. ad Pyth. IX.).

4. vel seq. anno Simonides obiit (v. Duker).

Olymp. 78, 1. Hiero curru Olympiis victor (Introd. ad Olymp. I.).

Agesias Syracusius Olympia mulabus vincit.

Pindarus Thebis, ut videtur, scripsit Olymp. VI.

2. Smicythus hortante Hierone Anaxilai filiis imperium tradit (Introd. Pyth. II.).

Hiero obit (Introd. Olymp. I.).
3. Pyth. 31.
Arcesilaus IV. Cyrenarum rex curru Pythiis victor.
Pindarus scripsit Pyth. V. et deinceps Pyth. IV.
Olymp. 79, 1. Diagoras Rhodius pugil victor Olympiis.
Pindarus scripsit Olymp. VII.
Xenophon Corinthius stadio et pentathlo Olympia vincit.
Pindarus scripsit Olymp. XIII. et Scolium Fragm. 1. (Introd. ad Olymp. XIII.).
2. Nemeae institutum pentathli certamen Nem. 53. probabiliter (v. ad Nem. VII.).
4. Camarina a Gelois restituta (ad Schol. p. 121.).
Catanaeorum respublica restituta (Introd. Pyth. I.): Aetnaei cedunt in oppidum Inessam, quod iam Aetnae nomen lucratur (Diod. Sic. XI, 75. et Wessel.).
Hoc anno Nem. 54. vicit Sogenes Aegineta et scriptum Nem. VII. probabiliter (v. ad hoc carmen).
Olymp. 80, 1. Arcesilaus Cyrenarum rex curru Olympiae victor (Introd. ad Pyth. IV.).
Alcimedon Aegineta lucta inter pueros victor Olympiae.
Pindarus Olympiae scripsit Olymp. VIII.
3. Pyth. 33.
Thrasydaeus Thebanus stadio vel diaulo Pythiis victor inter viros (Introd. ad Pyth. XI.).
Epharmostus Locrus Opuntius lucta inter viros victor Pythiis (Introd. ad Olymp. IX.).
Aristomenes Aegineta iisdem Pythiis pueros lucta vincit.
Huic tum Pindarus Delphis mense Olympico decimo scripsit Pyth. VIII. paulo ante subactam ab Atheniensibus Aeginam.
Aeginae obsidio incipit exeunte anno Olympico (Müller. Aeginet. p. 179.).
Fortasse hoc anno Isthm. I. scriptum.
Ante hoc tempus scripta Nem. III. IV., hoc aliquot haud dubie annis etiam ante Olymp. 80.
Item circa Olymp. 80. carmen Nem. VI. ponendum videtur.
Olymp. 80, $\frac{3}{4}$ scriptum Nem. VIII.
4. Lacedaemonii et Boeoti vincunt Athenienses Argivosque et socios apud Tanagram, quatuor fere ante ver mensibus, mense circiter quinto vel sexto Olympici anni (vide ad Isthm. VI.).
Athenienses vincunt Thebanos ad Oenophyta Tanagraea, LXII. diebus post cladem Tanagraeam, duobus fere mensibus ante ver (ibid.).
Aegina ab Atheniensibus in deditionem accipitur, vere eius-

dem anni, mense Olympico circiter nono vel decimo (Müller. Aeginet. p. 179.).

Olymp. 81, 1. Epharmostus Locrus Opuntius lucta victor Olympiis.

Poeta scripsit Olymp. IX., fortasse etiam Isthm. VI.

pugilatum, Ol. 25. currus equorum, hoc si ita intelligas, primis septendecim Olympiadibus nonnisi cursu virorum certatum, manifesto ineptum est, quum iam apud Homerum cetera quoque genera videamus, a Pelopis autem funebribus ludis equi certe vix unquam abfuerint. Imo ex quo tempore certa notitia in στήλαις haberetur certaminis alicuius Olympici, hunc introductionis annum dixere, nec credibile pugilatum revera quinquertio serius ascitum. Illud vero certum, pancratium ultimo loco receptum, quod Ol. 33. factum tradunt; hoc igitur sextum fuit in ordine. Considerabimus nunc memorabilem locum ap. Pausaniam V, 9, 3: Ὁ δὲ κόσμος ὁ περὶ τὸν ἀγῶνα ἐφ' ἡμῶν, ὥς θύεσθαι τῷ θεῷ τὰ ἱερεῖα πεντάθλου μὲν καὶ δρόμου τῶν ἵππων ὕστερα ἀγωνισμάτων, οὗτος κατέστη σφίσιν ὁ κόσμος Ὀλυμπιάδι ἑβδόμῃ πρὸς ταῖς ἑβδομήκοντα. Τὰ πρὸ τούτων δὲ ἐπὶ ἡμέρας ἦγον τῆς αὐτῆς ὁμοίως καὶ ἀνθρώπων καὶ ἵππων ἀγῶνα. τότε δὲ προήχθησαν ἐς νύκτα οἱ παγκρατιάζοντες, ἅτε οὐ κατὰ καιρὸν ἐςκληθέντες, αἴτιοι δὲ ἐγένοντο οἵ τε ἵπποι καὶ ἐς πλέον ἔτι ἡ τῶν πεντάθλων ἅμιλλα· καὶ ἐκράτει μὲν Ἀθηναῖος Καλλίας τοὺς παγκρατιάσαντας. ἐμπόδιον δὲ οὐκ ἔμελλε παγκρατίῳ τοῦ λοιποῦ τὸ πένταθλον οὐδὲ οἱ ἵπποι γενήσεσθαι. Discimus ex his verbis primum omnibus certaminum generibus certatum eodem die, hoc est, ut ego censeo, quum tres maximum ante Ol. 77. dies ludorum essent, praeter gymnica certamina semel curribus, altero die rhedis mularibus, tertio celete decursum, ut unusquisque dies et hominum et equorum certamina haberet. Et ultimum quidem fuit sextumque in fine diei pancratium, quod quum Olymp. 77. in noctem protractum spectari non posset propter curruum et quinquertii certamina antecedentia, inde ab illa Olympiade mutatio facta. Quid vero mutatum est? In cetero ordine plane nihil mutatum, hoc enim dicere debebat Pausanias, sed reiectum est pancratium in sequentem diem et finita prioris diei concertatio post quinque genera spectata. Hoc enim aperte Pausanias dicere mihi videtur his verbis: ὁ δὲ κόσμος, ὥς θύεσθαι τῷ θεῷ τὰ ἱερεῖα πεντάθλου μὲν καὶ δρόμου τῶν ἵππων ὕστερα ἀγωνισμάτων, οὗτος κατέστη Ὀλυμπιάδι ἑβδόμῃ πρὸς ταῖς ἑβδομήκοντα, h. e. ratio nunc haec est inde ab Ol. 77., ut sacrificia deo immolentur post quinquertium et equorum cursum; tum igitur finitur concertatio diei, pancratio in alium diem dilato. Sunt ἱερεῖα, quae in fine diei post finita certamina Iovi sacrificantur, quum etiam κῶμος haberetur (Ol. XI, 76.). Poterat Pausanias quod volebat simplicius dicere; sed amat exquisitiora.

Veniamus ad secundum diem. Quid ibi gestum? Eadem fuerunt genera, quae primo die, nisi quod nunc pancratium accessit, ac ne iterum sex genera existerent idemque incommodum oriretur, propter quod pancratium ab antecedente die remotum, nunc curule certamen nullum fuit, tertius autem dies primi diei rationem repetebat et sic deinceps. Haec igitur fere descriptio fuit proxime post Ol. 77:

1. δρόμος, πάλη, πυγμή, ἅρματα, πένταθλον.
2. παγκράτιον, δρόμος, πάλη, πυγμή, πένταθλον.
3. δρόμος, πάλη, πυγμή, ἀπῆναι, πένταθλον.
4. παγκράτιον, δρόμος, πάλη, πυγμή, πένταθλον.
5. δρόμος, πάλη, πυγμή, κέλητες, πένταθλον.

Quod ἅρματα ante πένταθλον posui, in eo Pindarum et Xenophontem sequutus sum, Pausanias quidem loco supra apposito τὰ ἱερεῖα dicens πεντάθλου καὶ δρόμου τῶν ἵππων ὕστερα ἀγωνισμάτων sacrificari, inversum ordinem videri potest indicare, et saepe dubitavi, quid statuerem; sed potuit Pausanias ultimum prius nominare, tum addere curule certamen, quia utrumque impedimento fuerat pancratio, potuit etiam, quod tamen minus probo, postea inverti ordo, ut Pausanias, quod suo tempore videret, ad ipsam Olympiadis 77. mutationem retulerit. Quidquid est, in cetera descriptione nihil mutatur, etiamsi quis inversum ordinem praeferat. Explicabo nunc cetera. Primum igitur proposita descriptio ut per se aequabilitate placet, ita confirmatur Pindari loco Ol. V, 6, 7., ubi quinque ludorum dies sic designantur: πεμπτάμεροι ἅμιλλαι ἵπποις, ἡμιόνοις τε μοναμπυκίᾳ τε. Quomodo autem per quinque dies certari potest tribus his generibus, nisi primo, tertio, quinto die certatur, uti in nostra descriptione vides? Ceterum ἀπῆναι, ascitae Ol 70. (antea igitur ἅρματα tantum et κέλητες certabant), abolitae sunt Ol. 84., cf. Boeckh. ad Schol. Pind. Ol. IV. p. 118. et Pausan. V, 9, 1., quemadmodum etiam κάλπης δρόμος, quamdiu habebatur, quinto credo die actus, ubi κέλητες certaverant, tum sublatus est Sed Ol 93. introducta pro iis δύο ἵππων τελείων συνωρίς secundum Pausan. V, 8, 13. et Iul. Africanum apud Euseb., ut iterum tria genera fuerint. Ceterum ut in Olympia ita in ceteris ludis omnibus bigae post quadrigas receptae, neque ego idoneam causam video, quare cum Hermanno ad Electr. 715. Sophoclem credam parum temporis curiosum contra morem antiquitatis in prisco certamine Pythio bigas memorasse pro quadrigis, quum poeta ut medios equos ζυγίους memoraret, opus non esset, qui de extremis tantum late-

rum equis loquatur. In quo Hermannus etiam contra usum loquendi *σειραῖον ἵππον* audacissime iugalem dextrum interpretatur. Sed hoc obiter: in viam redeo. Quod denique Ol. 99. *πώλων ἅρματα* addita sunt, Ol. 128. *πώλων συνωρίς*, Ol 131. *πῶλος κέλης*, eo non mutatum credo reliquum ordinem, sed primo die *ἵππων τελείων* et *πώλων ἅρμασι*, tertio *ἵππων* et *πώλων συνωρίδι*, quinto *ἵππῳ* et *πώλῳ κέλητι* decursum suspicor. Ante Ol. 77. quum unus, duo, tres dies ludorum essent, eodem die hominibus et equis certatum, ut Pausanias supra dixit; postea vero mutatum est hoc, et vides nunc secundo et quarto die non certatum equis. — Sed ad gymnica certamina transeo. Fuit primum cursus simplex, *δρόμος εὐθύς, ἁπλοῦς, ἀκάμπιος*: cf. Etymol. Magn., Hesych. v. *ἀκαμπιόδρομοι*, Suid. et Hesych. v. *ἀκαμπίας*, quod genus Pindarus *σταδίου εὐθὺν τόνον* dicit Ol. XI. 64., ut *τείνεσθαι δρόμος* dicitur. De ratione certaminis notabilis locus Pausaniae est VI, 13, 2., licet mancus, ubi non omnes cursores simul certasse tradit, sed universum numerum sortitione in quaterniones divisum, victores autem harum denuo compositos. Atque ita exstitit *σταδιονίκης*. Ceterum si divisione facta certantium, unus, duo, tres supererant, haud dubie quintus cursor additus uni pluribusve quaternionibus. Praeterea etiam puerorum constat cursum fuisse, receptum Ol. 37. secundum Pausan. V, 8. et Iul. African. apud Euseb. — Videamus nunc *καμπτούς, γναμπτούς, καμπίους, καμπτίους, κεμπίμους δρόμους*. Huius generis primum *διαύλου δρόμος* est, quem in Olympia Pausan. l. cit. et Iul. African. receptum dicunt Ol. 14., deinde *ἵππιος* s. *ἐφίππιος* dictus Platoni de Legg. VIII, 833. A et C. et Polluci Onomast. III, 146., aliis, cuius longitudo *δίαυλοι δύο*, ut Pausanias ait VI, 16, 3., offeruntque eandem mensuram Hesych. et Phavorin. v. *ἵππειος δρόμος*, et Plutarch. Solon. c. 23. Crediderim *κέλητας* idem spatium emensos, et inde ductum nomen. Sed hoc genus ut in Nemeis et Isthmiis fuisse constat e Pausania l. cit., in Olympia et Delphis usurpatum non reperio, licet res minime improbabilis sit. Tertio loco *δόλιχος* memorandus, cuius duo genera acute Boeckhius statuit Corp. Inscript. Vol. I. Fasc. III p. 703., *δόλιχον* simpliciter dictum septem stadiorum et *ἵππιον* viginti quatuor stadiorum, quales equorum adultorum cursus fuerunt. Ceterum receptus in Olympia *δόλιχος* secundum Eusebium Ol. 15., quod omisit Pausanias, saepius tamen ipsum genus in Olympicis rebus memorans, quum *ἱππίου* nullum ibi sit vestigium. Atque hi quidem cursus omnes *γυμνοί*:

accessit *ὁπλίτης* s. *ὁπλιτῶν δρόμος*, etiam *ὅπλον* dictus Pausaniae, qui receptus Ol. 65. secundum Pausan. et Euseb. De armis diximus ad Pyth. IX. init. Videtur autem duplex genus fuisse; certe Heliodorus Aethiop. IV. init. stadii armatos cursores Delphis memorat, alias *δίαυλος* laudatur; cf. Pausan. X, 34, 2. Aristoph. Av. 293. ibique Schol. Atque haec hactenus; dixit de cursibus post alios nuper Philipp. in Dissertat. de Pentathlo p. 60 seqq. Berolin. 1827. Vides multa genera usurpata; potuit igitur, primo die quum *στάδιον* esset, secundo *διαύλου δρόμος* esse, tertio *δόλιχος*, quarto *ὁπλίτης δρόμος*, quinto *παίδων δρόμος*, si autem etiam *ἵππιον δρόμον* Olympia habuit, primo die *στάδιον* et *διαύλου δρόμος* esse potuit vel alius. Sic Thessalus Corinthius Pind. Ol. XIII, 37. Delphis uno die stadio et diaulo vicit, quanquam alios ludos non comparo, quorum nec dies quot fuerint scimus nec quae descriptio certaminum, ut ex talibus nihil ad propositam quaestionem disci possit. Sed in Olympia secundum Pausan. VI, 13, 2. Polites Ol. 212. *ἀπὸ τοῦ μηκίστου καὶ διαρκεστάτου δι᾽ ὀλιγίστου δὴ καιροῦ μεθηρμόσατο ἐπὶ τὸ βραχύτατον ὁμοῦ καὶ ὤκιστον, καὶ δολίχου γε ἐν ἡμέρᾳ τῇ αὐτῇ καὶ παραυτίκα σταδίου λαβὼν νίκην, προσέθηκε διαύλου σφίσι τὴν τρίτην.* Quae si recte intelligo, Polites uno die dolichi et stadii victoriam tulit, secundo diauli etiam. Singulare vero est, quod tum dolicho primum, deinde stadio certatum; vulgo enim non dubium est stadii certamen primum fuisse omnium. Sed mutaverant hoc Hellanodicae ista Olympiade aliqua de causa, quemadmodum etiam alias in cetero ordine cursuum fieri potuit; neque arbitror singulos dies in perpetuum fixa cursuum genera habuisse, ut mutare nihil licuerit pro temporis et certatorum ratione. Quare etiam si quis Politen uno die tres victorias cursus reportasse contendat, non negabo potuisse ista quidem Olympiade ita factum esse. Ac de cursu satis dictum. Fuit porro lucta virorum et puerorum, et haec quidem Ol. 37. ascita teste Pausania et Iul. Africano, similiterque pugilatus virorum et puerorum, his Ol. 41. primum introductis secundum Pausan. et Euseb. Obiter moneo pueros dictos alios proprie *παῖδας*, alios *ἀγενείους*, adultiores; neque tamen Pindari aetate hoc discrimen *παίδων* et *ἀγενείων* iam obtinuisse Boeckhius iudicat in Corp. Inscript. Vol. I. Fasc. II. p. 335. Iam, ut cetera persequar, probabile mihi est partem luctatorum et pugilum primo die certasse, partem secundo, quum plerumque non pauci essent certatores, tertio vero victores cum *ἐφέδρῳ*, aut solos, si

φεδρος non erat, sed par numerus certantium. Ac si ἔφεδρος aderat, deinceps victores antecedentium dierum certabant cum hoc; cf. Boeckh. Explicatt. ad Pind. Pyth. VIII. p. 319.; si non aderat, nova paria ex victoribus solis componebantur, donec summus evaderet victor. Tale, credo, certamen fuit Pausan. VI, 10, 1: ἔνθα δὴ ὁ Γλαῦκος ἐτιτρώσκετο ὑπὸ τῶν ἀνταγωνιζομένων, καὶ ἡνίκα πρὸς τὸν λειπόμενον ἐξ αὐτῶν ἐπύκτευεν, ἀπαγορεύειν ἐνομίζετο. Ceterum saepius traditur aliquis eodem die lucta et pugilatu vicisse. Denique ad eandem normam quarto die puerorum luctatorum et pugilum certamen esse potuit, quinto victorum et ἐφέδρου. Ubi autem pauciores certatores aderant, etiam omitti uno die potuit hoc genus certaminis. Venio ad quinquertium. Quinquertiones vulgo non paucos fuisse inde suspicari licet, quod novem Hellanodicarum tres curulia certamina inspiciebant, tres quinquertium, tres cetera certamina, Pausan. V, 9, 5. Est autem maxime verisimile compositos quinquertiones per quaterniones fuisse, ut quaterni saltu, cursu, disco, iaculo certarent, ad luctandum vero duo paria prodirent, unum post alterum. Igitur si v. c. sedecim erant, commode hi per quatuor dies certaverint, quinto autem die victores horum. Neque tamen semper existimo omnibus diebus quinquertio certatum, sed, si pauciores aderant, omissum est uno alteroque die hoc certamen, et introducta pro eo, si fieri poterat, luctatorum aut pugilum plura paria. Quemadmodum si plures quam sedecim aderant, uno die duae quaterniones certarunt. Talia enim necessario mutata sunt ab Hellanodicis pro numero certantium in quoque genere, ut, quantum fieri posset, aequaliter divisa haberentur per singulos dies certamina et spectatorum oblectamenta. Ceterum quum ex descriptione nostra quinquertium in fine diei post cetera certamina spectatum sit, noli contra nos afferre locum Pausan. VI, 24, 1., ubi de gymnasio Eleorum loquens pergit: ειξιᾶσι δὲ (Hellanodicae) πρὶν μὲν τὸν ἥλιον ἀνίσχειν, συμβαλόντες δρομέας, μεσούσης δὲ τῆς ἡμέρας ἐπὶ τὸ πένταθλον, καὶ ὅσα βαρέα ἄλλα ὀνομάζουσιν. Ibi non de ludis sermo, sed de exercitiis ante ludos, quod non video in hac quaestione ab omnibus observatum. Sed de ipsorum in quinquertio certaminum ordine multa nuper disputata sunt ab Hermanno in Dissertatione de Sogenis Aeginetae victoria quinquertii Lips. ann. 1822. et a Boeckhio in notis criticis ad Pind. Nem. VII. et in Dissertatione de Crisi Pindarica, denique a Georgio Friderico Philippo in Commentatione de Pentathlo, quae adeat lector. Tamen ut paucis meam sententiam aperiam,

cum Boeckhio verum habeo luctam ultimam fuisse in ordine, neque obstare puto Pausan. III, 6, 9., quem locum Boeckhius optime explicat. Idem perspicue docuit saltum primum certamen fuisse. Sed apud Xenophontem Hist. Gr. VII, 4, 29. non dubitandum mihi videtur πάλην, quae ibi dicitur, quinquertii esse, unde liquet τὰ δρομικὰ τοῦ πεντάθλου antecedentia certamina esse. Iam si hunc ordinem ponis: ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, dices proprie ἅλμα et ποδωκείην esse τὰ δρομικά, sequentia duo vel praetermissa, quod aegre concedam, vel comprehensa δρομικοῖς, sive quod dignitate minora erant, sive quod hic tum ordo fuit: ἅλμα, δίσκος, ἄκων, δρόμος, quem etiam veterum plures tradiderunt. Mihi quidem non improbabile videtur etiam hoc ordine interdum certatum, etsi legitimum habeam eum, quem Simonides refert. — Restat, ut de pancratio dicam. Pancratiastae plerumque pauciores fuerunt, ac, si nonnisi unum aut aliquot paria aderant, uno die rem absolutam credas, sin plura, alio die victores, qui evaserant, inter se certarunt aut cum ἐφέδρῳ. Inde ab Ol. 145., ut cum Pausania Eusebius tradit, etiam puerorum pancratium ascitum, certaruntque pueri vel post viros iisdem diebus vel alio die viri omnes, alio pueri Ceterum mutatum esse ordinem legitimum rerum ab Hellanodicis interdum etiam certantium rogatu patet ex Pausan. VI, 15, 3. Quum Ol. 141. Caper Eleus lucta iam vicisset eodemque die etiam pancratio certare cuperet, Clitomachus pancratiasta et pugil adiit Hellanodicas, ut pancratium vocarent, antequam ipse vulnera pugilatu accepisset. Sic pancratium eo die fuit inter luctam et pugilatum, qui potuit tertius ludorum dies esse ex nostra descriptione. Ac Caper eodem die luctae et pancratii victor exstitit, ut alio tempore Strato Aegiensis, Pausan. VII, 23, 5. Omnino iam supra monui iterumque repeto necessario ab Hellanodicis in legitima descriptione mutatum esse nunc hoc nunc illud pro ratione temporis et certantium, quare ne illud quidem negaverim, si quis pancratium initio diei a me positum interdum post pugilatum collocatum censeat, tamen legitimum non credo hunc ordinem, quum Pausanias in loco supra allato de mutatione Ol. 77. facta loquens ordinem priscum generum mutatum nullo verbo significet, quod teneri cupio ab iis, qui iudicium ferent de descriptione nostra. Postremo ut etiam de Luciani loco Timon. c. 50. dicam: νενίκηκε δὲ (Τίμων) πὺξ καὶ πάλην καὶ δρόμον ἐν Ὀλυμπίᾳ μιᾶς ἡμέρας καὶ τελείῳ ἅρματι καὶ συνωρίδι πωλικῇ. sunt haec ineptae blanditiae, quas sciens mentitur Demea, ut satis te ipse locus inspectus docebit.

EXCURSUS II.

DE ASYNDETO APUD PINDARUM *).

Asyndeti usus frequentior in lyrica poesi est et esse debet quam in epica; epica oratio quum lenior et tranquillior sit, continuum flumen amat, lyrica abruptior est et audacior, affectuum plena et gravitatis ac sublimitatis maxime studiosa. Quare qui virtutes eius cognoscere cupit etiam ad Asyndeti rationem attendere debet. Ac Pindari interpres etiam propterea declinare non potest quaestionem passim difficilem et impeditam, quia **Hermannus** et **Boeckhius** pluribus in locis de ea re dissentiunt. Placuit igitur exempla potiora Asyndeti ex his carminibus colligere et ad genera distincta revocare.

Asyndeton quum particulas non offerat, quibus nexus sententiae indicetur, res ipsa hoc et pronuntiatio docere debet. Placet ubique ut non aliunde particulis aptum, propria quadam vi, alacritate, gravitate, magnificentia; sensu vero aut cum antecedentibus arctius cohaeret aut novam rem infert.

Ac primum quidem notissimus usus Asyndeti est, quum **res universe vel indirecte aut obscurius indicata explicatur accuratius.** Ol. I, 86: *οὐδ' ἀκράντοις ἐφάψατ' ὦν ἔπεσι. τὸν μὲν ἀγάλλων θεὸς ἔδωκεν δίφρον τε χρύσεον πτεροῖσίν τ' ἀκάμαντας ἵππους.* — Ol. II, 24: *ἕπεται δὲ λόγος εὐθρόνοις Κάδμοιο κούραις, ἔπαθον αἳ μεγάλα, πένθος δ' ἐπίτνει βαρὺ κρεσσόνων πρὸς ἀγαθῶν. ζώει μὲν ἐν Ὀλυμπίοις ἀποθανοῖσα βρόμῳ κεραυνοῦ τανυέθειρα Σεμέλα κτλ.* Varia alia exempla eiusdem rei sunt Ol. VI,

*) [Contra Dissenii praecepta paucis disputat G. **Hermannus** Opuscc. VII. p. 15 seqq. SCH.]

41. Pyth. I, 86. 94. II, 63. IV, 19. 166. 249. 278. IX, 68. 95. 118. XI, 46. XII, 13. Nem. III, 28. 31. V, 50. VII, 77. fin. IX, 34. X, 4. Isthm. VII, 31. Fragm. Isthm. IV, 5 (?). In loco Ol. IX, 104 seqq. nunc hunc censeo nexum esse: Ducunt enim aliae aliis viae ulterius; excellentia ardua est, inferiores gradus artium facilius assequaris. Illuc vero Epharmostus pervenit. Non sunt igitur verba: *σοφίαι μὲν αἰπειναί*, opposita antecedentibus, sed subiecta. Denique Pyth. IX, 84. antecedens nomen *πατρο-πάτωρ* explicatur et alia ratio est ibidem v. 26. Postquam enim v. 5. Cyrenam ab Apolline raptam praemonuerat, monstratis deinde originibus et moribus puellae, ad ipsam raptus narrationem accedens, orditur per Asyndeton *κίχε νιν κτλ.* Satis de his. Ut vides, nuntiatur dictum, deinde exponitur, indicatur breviter, indefinite, indirecte, obscurius res, explicatur deinde apertius, plenius, per partes. Causa vero Asyndeti aperta. Si copulam adderes aut adversativam particulam, iuxta poneres aliud aut opponeres; nunc autem subiici debet posterior locus antecedenti tanquam pars. Quare omittendae sunt istae separantes particulae. Ubi vero videbuntur tibi in locis quibusdam allatis etiam particulae commode poni potuisse, non tamen omissas eas iudicabis, sed aliter nunc rem cogitatam.

Secundo loco similis ratio memoranda est, ubi eadem res cum vi repetitur aliis verbis. Ol. III, 17: *τάν ποτε Ἴστρου ἀπὸ σκιαρᾶν παγᾶν ἔνεικεν Ἀμφιτρυωνιάδας, μνᾶμα τῶν Οὐλυμπίᾳ κάλλιστον ἄθλων, δᾶμον Ὑπερβορέων πείσαις Ἀπόλλωνος θερά-ποντα λόγῳ· πιστὰ φρονέων Διὸς αἰτεῖ πανδόκῳ ἄλσει σκιαρόν τε φύτευμα ξυνὸν ἀνθρώποις στέφανόν τ᾽ ἀρετᾶν.* Manifestum est bis dici idem, quae in fine prioris loci sunt, ab his initium capiente secundo, atque etiam ceteris inverso ordine positis. Causa vero repetitionis in promptu; vertitur summa fabulae in eo, annuentibus Hyperboreis, non vi, translatum oleastrum Olympiam praemium virtutum. Adde Pyth. III, 107: *σμικρὸς ἐν σμικροῖς, μέγας ἐν μεγάλοις ἔσσομαι· τὸν ἀμφέποντ᾽ αἰεὶ φρασὶν δαίμον᾽ ἀσκήσω κατ᾽ ἐμὰν θεραπεύων μαχανάν.* Alia exempla sunt Ol. I, 52: *ἐμοὶ δ᾽ ἄπορα γαστρίμαργον μακάρων τιν᾽ εἰπεῖν. ἀφίσταμαι.* Ol. IX, 40: *μὴ νῦν λαλάγει τὰ τοιαῦτ᾽· ἔα πόλεμον μάχαν τε πᾶ-σαν χωρὶς ἀθανάτων.* Pyth. X, 21: *μὴ φθονεραῖς ἐκ θεῶν μετα-τροπίαις ἐπικύρσαιεν. θεὸς εἴη ἀπήμων κέαρ.* Aptissima res quum alias tum in precibus votisque intentis et in affectu, veluti iam Homerus dixit Il. I, 106: *μάντι κακῶν, οὐ πώποτέ μοι τὸ κρήγυον εἶπες, αἰεί τοι τὰ κάκ᾽ ἐστὶ φίλα φρεσὶ μαντεύεσθαι.*

Tertio loco enumerationem affero, cuius tamen apud Pindarum pauca tantum exempla sunt. Pyth. III, 107: σμικρὸς ἐν σμικροῖς, μέγας ἐν μεγάλοις ἔσσομαι. Nem. VI. init.: ἓν ἀνδρῶν, ἓν θεῶν γένος. Potest etiam ἓν μὲν ἀνδρῶν, ἓν δὲ θεῶν γένος dici, si oppositionis ratio infertur; nunc autem non opponuntur sibi haec membra, sed iuxta alterum ponitur alterum. Habet vero hoc genus nunc gravitatem et dignitatem, ut in locis allatis, nunc ardorem et affectum, quod luculento exemplo illustratur e Platonis Symposio p. 197. D, ubi Agatho poeta in fine orationis suae crescente fervore laudis permulta praedicat de Amore ἀσυνδέτως: ἐν ἑορταῖς, ἐν χοροῖς, — — — — — — παραστάτης τε καὶ σωτὴρ ἄριστος. A Pindaricis epiniciis talis incitatior orationis cursus alienus; sed hic magna cum vi et gravitate Asyndeto utitur, ut nunc censeo, etiam Pyth. II, 40 seqq. describens Ixionis poenas: τὸν δὲ τετράκναμον ἔπραξε δεσμὸν ἑὸν ὄλεθρον ὅγ᾽· ἐν δ᾽ ἀφύκτοισι γυιοπέδαις πεσὼν τὰν πολύκοινον ἀνδέξατ᾽ ἀγγελίαν. ἄνευ οἱ Χαρίτων τέκεν γόνον ὑπερφίαλον, μόνα καὶ μόνον κτλ. Sensus: Sed rotam infelicem lucratus est, monstrosus ei filius natus; praeclara cum vi. Minus recte in Commentario Asyndeton explicui.

Accedo ad aliud genus. Ubi hic est nexus locorum duorum, ut alter causam et rationem contineat, alter consequutionem, alter protasis, alter apodosis sententiae alicuius sit, omissis particulis ἐπεί, ἐπειδή, γάρ, duo novi modi Asyndeti adhibendi existunt usitatissimi, prout protasis aut apodosis primum locum occupat. Ponamus primum illud. Fac hanc legi sententiam: Multorum quum rex sis, multos dictorum testes habes; vides dici posse etiam sic: Multorum rex es, multos habes testes, ut habetur Pyth. I, 88: πολλῶν ταμίας ἐσσί· πολλοὶ μάρτυρες ἀμφοτέροις πιστοί. Atque hoc genus valde amat Pindarus, tum in aliis rebus tum in hortatione eo utens, ubi praemissis sententiis se vel alium hortatur. Ol. I, 113: ἐπ᾽ ἄλλοισι δ᾽ ἄλλοι μεγάλοι· τὸ δ᾽ ἔσχατον κορυφοῦται βασιλεῦσι. μηκέτι πάπταινε πόρσιον. Ol. III. fin.: τὸ πόρσω δ᾽ ἔστι σοφοῖς ἄβατον κἀσόφοις· οὔ μιν διώξω. Nem. IV, 69: Γαδείρων τὸ πρὸς ζόφον οὐ περατόν· ἀπότρεπε αὖτις Εὐρώπαν ποτὶ χέρσον ἔντεα ναός. Eodem pertinet ibid. v. 85., ubi vide Commentarium. Porro adde Nem. V, 14. Isthm. II, 12., ubi vide explicationem, et Isthm. VI, 39. Praeterea confer Isthm. II, 35: μακρὰ δισκήσαις ἀκοντίσσαιμι, utinam igitur possim, Pyth. IV, 276. τλᾶθι, suscipe igitur, Isthm. I, 6. εἶξον, cede igitur, Nem. VII, 75. ἔα με, sine me igitur, IX, 50: ἐγκιρνάτω τίς μιν, misceto igitur statim aliquis, Pyth. III, 61. μὴ

σπεῦδε, noli igitur: in quibus omnibus logicus nexus est, quem dixi, alacrior vero et nervosior oratio fit per Asyndeton. Addo Pyth. IV, 147: οὐ πρέπει νῷν, et Pyth. III, 107. Sed pertinet huc etiam Ol. II, 46. πρέπει, decet igitur canere, canamus igitur, ubi Hermannus non recte damnare videtur Asyndeton. Etiam de Nem. X, 75. in Commentario diximus. Postremo huius generis est Pyth. IV, 270: ἐσσὶ δ' ἰατὴρ ἐπικαιρότατος, Παιάν τέ σοι τιμᾷ φάος· χρὴ μαλακὰν χέρα προσβάλλοντα τρώμαν ἕλκεος ἀμφιπολεῖν, h. e. es medicus aptissimus, moneo igitur, ut leni manu cures, s. quum sis medicus aptissimus, age praesta te etiam talem, qualem debes. Ubique enim Pindarus admonitionem, ubi ea opus, ex laude ducit, ut de logica ratione membrorum dubitari non possit. Atque ita patet in his omnibus locis sententiarum certum nexum esse; abruptum in oratione tantum est. Satis de hoc. — Alteram rationem dixi, ubi apodosis praemittatur, protasis sequatur; sic Asyndeton per γάρ explicandum est, quum causam et rationem antecedentium contineat. Atque etiam hoc genus frequens apud Pindarum. Ol. I, 53: ἀφίσταμαι· ἀκέρδεια λέλογχεν θαμινὰ κακαγόρος. Ol. III. fin.: οὔ μιν διώξω· κεινὸς εἴην. Ol. IX, 12: ἀλλὰ νῦν ἑκαταβόλων Μοισᾶν ἀπὸ τόξων Δία τε φοινικοστερόπαν σεμνόν τ' ἐπίνειμαι ἀκρωτήριον Ἄλιδος, πτερόεντα δ' ἵει γλυκὺν Πυθῶνάδ' ὀϊστόν· οὔτοι χαμαιπετέων λόγων ἐφάψεαι. Nem. V, 20: μακρὰ δή αὐτόθεν ἅλμαθ' ὑποσκάπτοι τις· ἔχω γονάτων ἐλαφρὸν ὁρμάν. Idem nexus est Ol. I, 106. II, 86. VIII, 72. X, 16. XIII, 18. Pyth. II, 76. III, 105. X, 26. Nem. V, 16. VII, 19. 75. X, 78. Isthm. I, 5. IV, 52. Obiter adde Ol. XII, 5. Pyth. V, 53., ubi γέ est certe quidem, quum inter alia argumenta unum afferatur gravius. Sed non omittere debeo magnificum locum Pyth. I, 75 seqq. de victoria ad Himeram. Post laudatam Hieronis ad Cumas victoriam, ad causam, opinor, et principium harum rerum assurgit, quae maxime Pindarica ratio. Nam ad Himeram, ait, Dinomenis filii sic fregerunt hos populos, ut Medi fracti sunt primum ad Salaminem et Plataeas. Sic nunc malim. Postremo affero exempla nonnulla, ubi plura Asyndeta coniuncta sunt. Pyth. I, 86 seqq.: νώμα δικαίῳ πηδαλίῳ στρατόν· ἀψευδεῖ δὲ πρὸς ἄκμονι χάλκευε γλῶσσαν. εἴ τι καὶ φλαῦρον παραιθύσσει, μέγα τοι φέρεται πὰρ σέθεν. πολλῶν ταμίας ἐσσί· πολλοὶ μάρτυρες ἀμφοτέροις πιστοί. Hoc est: Guberna iuste et loquere vere; nam si vel levissima res tibi excidit, magnum habetur ut a te profectum; quum enim multorum rex sis, sunt tibi multi testes. Isthm. IV, 14: μὴ μάτευε Ζεὺς γενέσθαι· πάντ'

ἔχεις, εἴ σε τούτων μοῖρ' ἐφίκοιτο καλῶν. θνατὰ θνατοῖσι πρέπει. Hoc est: Quum omnia habeas, noli Iupiter fieri; humana enim decent homines. Fragm. Dithyramb. III. v. 7 seqq.: Διόθεν τέ με σὺν ἀγλαᾷ ἴδετε πορευθέντ' ἀοιδᾷ ἐπὶ [τὸν] κισσοδέταν θεόν. γόνον ὑπάτων μὲν πατέρων μελπέμεν γυναικῶν τε Καδμειᾶν ἔμολον. Ἐν Ἀργείᾳ Νεμέᾳ μάντιν οὐ λανθάνει φοίνικος ἔρνος κτλ. Hic primum verba: πορευθέντα σὺν ἀοιδᾷ ἐπὶ [τὸν] κισσοδέταν θεόν, explicat disertius, deinde quum e Nemea se huc profectum dixerit, etiam illud explicat, quomodo ibi sciverit instare Dionysia. Alacritatis autem eximiae lyricae exemplum est locus Nem. VII, 75 seqq., ubi pulcherrime congesta sunt Asyndeta.

Pergo ad aliud genus in fine locorum positum, quum graviter finitur. Talia exempla primum sunt Ol. IV, 17. VI, 19. Nem. I, 18. VII, 61., quibus locis hoc inest: dixi, vera dixi, non mentior et obtrecto. Adde Nem. IX, 33. Porro huius generis sunt loci, ubi repetitur in fine quod prius dictum, Pyth. XI, 31. XII, 22. Pertinent eodem alii multi loci, ubi alio gravi dicto antecedentia complectitur aut absolvit, iudicium suum subiicit laudans, admirans, reprehendens, admonens. Ol. II. fin.: ἐπεὶ ψάμμος ἀριθμὸν περιπέφευγεν· ἐκεῖνος ὅσα χάρματ' ἄλλοις ἔθηκεν, τίς ἂν φράσαι δύναιτο; Pyth. V, 88. de Batto: μάκαρ μὲν ἀνδρῶν μέτα ἔναιεν, ἥρως δ' ἔπειτα λαοσεβής. Nem. IX, 45: ἴστω λαχὼν πρὸς δαιμόνων θαυμαστὸν ὄλβον. Nem. VII, 48: τρία ἔπεα διαρκέσει κτλ. Adde Nem. I, 36. Imprimis vero magnificae sententiae hae: Pyth. II, 49. narrata Ixionis poena: θεὸς ἅπαν ἐπὶ ἐλπίδεσσι τέκμαρ ἀνύεται, θεὸς ὁ καὶ πτερόεντ' αἰετὸν κίχε καὶ θαλασσαῖον παραμείβεται δελφῖνα κτλ. Nihil magis lyricum quam commotum gravitate rerum dictarum sic effari sensus, quibus sis plenus. Pyth. III, 59., postquam de Aesculapio dixit, invito Iove qui aliquem in vitam revocare tentaverat: χρὴ τὰ ἐοικότα πὰρ δαιμόνων μαστευέμεν θναταῖς φρασίν, γνόντα τὸ πὰρ ποδός, οἵας εἰμὲν αἴσας. Adde Nem. IV, 30. Sed non in maiorum tantum partium fine tales dico sententias saepius reperiri, possunt etiam in media oratione idoneis locis subiici, ut Pyth. IX, 87. et Pyth. II, 83., ubi de calumniatore callido loquutus pergit eximie: οὔ οἱ μετέχω θράσεος. Eadem ratio ubicunque in iuncturis locorum sententiae positae, quae, quum principium sequentium rerum sint, simul tamen antecedentium contemplatione nata videantur, ut Ol. II, 53. VI, 73. XIII, 82.

Dixi supra Asyndeton aut cum antecedentibus maxime sensu cohaerere aut novam rem nuntiare vel inferre; de illo

vidimus; restat, ut de altero genere exponamus. Est igitur in sequentibus prima Asyndeti causa diversitas rerum maior minorve; accedit quod, ubi gravior locus novus sequitur, etiam vim postulat maiorem principium. Primum igitur frequens in hoc genere Asyndeti usus est, quum abrumpitur subito oratio, ut ad alia veniatur, veluti vides Ol. II, 80: πολλά μοι ὑπ' ἀγκῶνος ὠκέα βέλη ἔνδον ἐντὶ φαρέτρας. Adde Ol. IX, 80. Pyth. I, 81. IV, 247. Nem. V, 14. VII, 50. VIII, 19. X, 19. Isthm. IV, 46., et vividius Ol. IX, 35. Pyth. X, 4. 51. Nem. III, 26. Neque tamen semper tales formulae locum habent aut habere possunt; aliis locis repente nuntiatur res sequutura aut ipsa statim ponitur, sive praeparata simul proxime antecedentibus sive non praeparata; atque ubi carminis nova pars est, maiore pausa pronuntiationis opus, antequam transeas, ubi loci eiusdem nova pars, minore. Afferamus exempla. Ol. VI, 82: δόξαν ἔχω τιν' ἐπὶ γλώσσᾳ ἀκόνας λιγυρᾶς. Similes loci Ol. VII, 20. Pyth. X, 64. Nem. VII, 70. Adde praeterea Ol. XIII, 11., ubi nuntiatio habetur praeparata antecedentibus, et Pyth. V, 101.; vide porro Nem. V, 48. VI, 27. 47. 66. Isthm. III, 19. IV, 54. V, 58. Eximie vero frequentantur in hoc genere alloquutiones precationesque deorum, ut Ol. V, 17. VI. 103. VII, 92. XIII, 24. 114. Pyth. I, 29. 58. 71. Nem. IX, 27. X, 29., atque etiam vota sine alloquutione sic ponuntur fere ἀσυνδέτως, ut Ol. I, 115. IV, 12. VII. fin. Pyth. V, 116. XI, 50. Isthm. I, 64. Etiam ubi copulatio fieri poterat commode, gravitatis causa talia Asyndeton asciscunt passim.

Sed haec aperta pleraque; dicendum vero de subtilioribus quibusdam in hoc genere modis. Sic quum plures hortationes diversae se excipiunt, Asyndeton videas, sicubi diversitas rerum postulat. Pyth. I, 86 seqq. primum ad iustitiam et veritatem, deinde ad liberalitatem hortatur. Quum autem Hiero aulicorum adulatorum artibus saepe a recta via averteretur, tertio loco v. 92. etiam de hac re monet, quae, quum ad antecedentes duos locos pariter pertineat, non poterat eodem cum iis ordine logico poni, sed Asyndeton postulabat. Pyth. II, 70. primum rogat, ut carmen benigne recipiat, deinde v. 72. ad aliam diversam admonitionem gravissimam pergit de aulicorum fraudibus. Fragment. Dithyramb. III. primum vocantur dii, ut benigne aspiciant et adiuvent chorum: Ἴδετ' ἐν χορόν, Ὀλύμπιοι, ἔπι τε κλυτὰν πέμπετε χάριν, θεοί, tum de honoribus loquitur, quos contra ferre debent, ἰοδετᾶν λάχετε στεφάνων τᾶν τ' ἐαριδρέπτων λοιβᾶν, quae vides non potuisse per novam copulam τὲ subiici. Sed gravior

alia quaestio est de omissione particulae δέ in oppositione. Viam monstret locus pulcherrimus Fragment. Hyporchem. III: Ἀπὸ Ταϋγέτοιο μὲν Λάκαιναν ἐπὶ θηρσὶ κύνα τρέφειν πυκινώτατον ἑρπετόν· Σκύριαι δ' ἐς ἄμελξιν γλάγους αἶγες ἐξοχώταται· ὅπλα δ' ἀπ' Ἄργεος· ἅρμα Θηβαῖον· ἀλλ' ἀπὸ τᾶς ἀγλαοκάρπου Σικελίας ὄχημα δαιδάλεον ματεύειν. [Correctum apposui.] Quo iure hic post ἅρμα particulam δέ omisit? Illustrare vult rhedae Siculae praestantiam; postquam igitur alia dissimiliora comparavit, ad ultimam comparationem accedens, quae proxime scopum tangit et ad ipsam rem transitum parat, pulcre abrumpit orationem et quasi novam partem loci ponit. Discimus hinc, quomodo δέ omittere liceat. Non potest omitti, credo, Ol. XI, 71., ubi, quum poeta enumeret primos victores Olympiae, qui cursu, lucta, pugilatu, curru, denique iaculi discique iactu vicerint, idonea causa nulla est, quare ultimum genus a ceteris Asyndeto separetur. Alius locus est Pyth. IV, 179., ubi in recensu Argonautarum postremo de Pangaei accolis Boreadis dicitur. Boeckhius post ταχέως delevit δ', ut in fine versus, atque ego in Commentario propter gradationem quandam sententiae Asyndeton dixi admissum videri. Tamen nunc dubito defensionem sufficere; Asyndeton incommode finem loci separat et divellit ab antecedentibus. Nec omitti posse δέ credo Ol. VI, 74: τεκμαίρει χρῆμ' ἕκαστον, μῶμος ἐκ δ' ἄλλων κρέμαται φθονεόντων, quia secunda pars loci ita apposita est antecedenti, ut non posse separari videatur. Probant, ait, nostra ipsorum facta, quales simus; obtrectatio vero ab aliis oritur invidentibus. Similis causa, quare Ol. IX, 103. particulam restituendam iudicem. Sed alia res est Ol. VI, 72. Ibi de vaticinandi arte Iamidis tributa ab Apolline loquutus primum addit: ἐξ οὗ πολύκλειτον καθ' Ἕλλανας γένος Ἰαμιδᾶν, tum pergit: ὄλβος ἅμ' ἕσπετο. Hermannus quidem cum Scholiis iungit: ἐξ οὗ πολύκλειτον καθ' Ἕλλανας γένος Ἰαμιδᾶν ὄλβος ἅμ' ἕσπετο, sed ieiuna oratio est et non Pindarica propter verba: πολύκλειτον καθ' Ἕλλανας, nunc male interposita. Igitur duo sunt cola. Cur autem δέ omisit? Quia, credo, verba: ὄλβος ἅμ' ἕσπετο, non sic adiuncta voluit antecedentibus, ut nihil nisi clausula horum essent, sed voluit ea simul initium et principium esse sequentium conspicuum. Nam praeter virtutes Pindarus etiam ὄλβον Iamidarum et Agesiae in illo carmine laudat; cum hoc certavit Agesias in Olympia et nunc splendida epinicia celebrat, cum hoc illustrem inter cives Syracusanos locum occupat; hic ut maneat, optat in fine. Harum igitur omnium rerum in principio recte et

graviter dixit: *Opulentia simul sequuta; cultores enim virtutum illustrem in locum veniunt. Nimirum probat res quemque.* Ultima sententia ad ludicras res transitum parat. Sic igitur hic quidem *δέ* non desideramus. Omnino ponit quidem lyrica oratio *δέ* et ponere debet, ubi logica ratio rerum necessario postulat, neque unquam haec particula omissa, ubi necessaria esset; sed multo minus tamen ea utitur quam prosa oratio, alias alios modos praeferens, ubi fieri potest. Nam ubi omnia aliunde nexa sunt, vivida vis singularum rerum minuitur; lyrica vero poesis nulla esset, nisi etiam in singulis locis ubique vim et alacritatem sensuum deprehenderes ipsi propriam. Hoc etiam propter ea dico, quae ultimo loco subiiciam. Observare enim licet Pindarum in continuatione narrationis persaepe pronomen demonstrativum *ἀσυνδέτως* cum vi ponere, ubi vel relativum adhibere, vel *οὖν* addere, vel mutata constructione *δέ* inferre, vel alio modo arctius nectere enuntiationes poterat, si voluisset. Dico illos maxime Pindaricos transitus per *τῷ μέν*, *τὸν μέν*, *τοὶ μέν*, *τοῖσι μέν*, *τόθι*, *τούτων*, *κείνοις*, alios; cf. Ol. I, 75. VI, 44. VII, 32. 49. XIII, 61. Pyth. IV, 66. 120. Isthm. V, 75. Sic v. c. Ol. VII, 31 seq.: *μαντεύσατο δ' ἐς θεὸν ἐλθών* (Tlepolemus). *τῷ μὲν ὁ Χρυσοκόμας εὐώδεος ἐξ ἀδύτου ναῶν πλόον εἶπε*, ex vulgari ratione etiam sic dici poterat: *ὁ δὲ ναῶν πλόον αὐτῷ εἶπε*. Sed suavius alterum. Placet demonstrativum ubique alacritate, vigore maiore, quum aliae iuncturae atque etiam relativi frequentior usus prosae orationi magis conveniant.

INDEX NOTULARUM.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Olymp. I, 5. Libri meliores *μηκέτ' ἀελίου*, quod expendit Ahrens Dial. Dor. p. 40.

Olymp. I, 12. Formam *πολυμάλῳ* exagitat idem p. 153.

Olymp. I, 53. Antiqua scriptura *κακαγόρος* quosdam grammaticos, qui accusativum esse non sentirent, ad pravam scripturam duxit: *ἀκέρδειαν λέλογχεν θαμινὰ κακάγορος*. Sic Pal. C. cum glossa *κακὰ λέγων*. Eodem fertur unus ex Scholiastis: *οἱ κακήγοροι οὐδὲν λελόγχασιν ἢ ἀκέρδειαν*. Quanquam is fortasse ad expediendam vulgatam adhibuit anastrophen, quam quum alias tum ad Nem. IX, 48. comminiscuntur veteres magistri.

Olymp. I, 64. Consultus de h. l. Ahrens meus haec fere reposuit: *Κτίσσεν* tuum non satisfacit: quod tralaticium mendum arguisti, laudo. Ego ex glossa Hesychii *ἔθησαν· ἐποίησαν* coniicio *θῆσαν*. Nam si quis conferat alteram glossam *θῆσαι· θρέψαι* et Alcmanicum illud *γάλα θεῖσα*, quod descendit a verbo *θῆναι* ut *ἀεῖσα* ab *ἄημι*, h. e. *γάλα τρέφουσα*: facile intelligat, rarius verbum *θῆναι* non solum lactandi significatum habuisse, sed etiam universe *τρέφειν* verbi potestate usitatum fuisse. Igitur *ἄφθιτον ἔθρεψαν* verba sonabunt. Glossa Hesychii ex hoc similive loco sumpta fuerit.

Olymp. I, 82. De *τά* pro *τί* scilicet posito videndus Ahrens l. c. p. 277.

Olymp. II, 29. corr. II, 27.

Olymp. II, 76. in nota pro *γῆς* lege *γᾶς*.

Olymp. II, 93. Ahrens p. 178. *τὸ πάν* probat, quum et Doris et Aeolis *πάν* corripuisse dicatur, ut vel *πός* pro eo q. e. *πούς* sibi indulserunt.

Olymp. IV, 26. in Heyniana diversitate scribe: *νέοις ἐν ἀνδράσι*.

Olymp. VI, 6. De forma *Συράκοσσαι* accurate Ahrens p. 99 seq. exponit.

Olymp. VI, 13. Rationem formae *Ἀμφιάρηος* non explicavit amicus. Igitur ipse faciam. Ut ex *Βριάρης* pullulaverunt *Βριάρηος* et *Βριάρεως*, sic ex *Ἀμφιάρης* et *Ἀμφιάρηος* et *Ἀμφιάρεως*. Herodianus Et. M. p. 175, 29: *Τὰ τοιαῦτα τῶν ὀνομάτων παρὰ τῆς Ἄρης σύγκειται· γέγονεν οὖν καὶ τὸ Ἀφάρης οὕτως. εἶτα παρώνυμον Ἀφαρεύς.* Idem Et. M. p. 213, 23: *Βριάρηο· οἷον Βριάρηο κόρα* (Bergkius Ibyci esse perspexit fr. 40.)· *ἔστι Βριάρηος ἡ εὐθεῖα ὡς μονῆρες· ἡ γενικὴ Βριαρήου, καὶ Θετταλικὴ γενικὴ Βριάροιο καὶ συγκοπῇ Βριάρηο.* Confer Meinekii Anall. Alex. p. 279. Igitur *η*, quod ab origine formae adhaesit, vulgo non iam sentiebatur, unde *Ἀμφιάραος* in usum venit. Sed illa forma restituenda Stesichoro est. Ab *Ἀμφιάρης* Nem. IX, 24. est *Ἀμφιάρῃ*.

Olymp. VII, 29. Bergkii scriptura ἔκτανεν Τίρυνϑι in octo codicibus exstat apud Boeckhium Nott. Critt. Pyth. III, 74., ubi Bergkius idem a libris descivit.

Olymp. VII, 80. κνισάεσσα ex quatuor codd. affertur. Unde corrige quae ad Isthm. III, 84. (non 80.) dixi.

Olymp. VII, 87. R. Rauchensteinius Prolegg. Pind. p. 28. verba ita distinguenda censet: Αἴγίνα τε νικῶνϑ' ἑξάκις, ἐν Μεγάροισίν τ' οὐχ ἕτερον λιϑίνα ψᾶφος ἔχει λόγον, ut Diagoras Megaris quoque sexies vicerit.

Olymp. IX, 6. Rauchensteinius l. c. ex librorum vestigiis hanc loci scripturam commendat: ϑάλλει δ' ἀρεταῖσιν Αἰεὶ Κασταλία παρὰ Ἀλφεοῦ τε ῥέεϑρον. Non placet.

Olymp. IX, 15. Quod in nota cum Κύκνεια forma conferebam Πολυδεύκεια χείρ Callimachium est, ut opinor. Grammaticus Crameri Ann. Oxx. IV. p. 329, 5: Τὸν Καλλίμαχον μέμφονται χειρη Πολυδευκείη καὶ σφυρὸν Ἰφίκλειον ὅτι ἐπὶ ζώντων ἐχρήσατο κτητικῷ ἐπὶ σωματικοῦ μέρους. Περὶ οὗ φαμεν, ὅτι περιφράσει ἐχρήσατο, ὥσπερ βίη Ἡρακληείη. Exitum versus choliambi habebis, si posueris χειρὶ Πολυδευκείῃ. Quanquam hoc sumpto Etymologi exemplum, quod nominativum desiderat, aliorsum pertinebit.

Olymp. XI, 17. Rauchensteinius p. 44. nulla probabilitate coniicit: ϑήξαις δὲ φυὰν ἀκόνᾳ vel ϑήξαις δέ μιν ὥτ' ἀκόνᾳ. Seduxit Kayseri intempestiva crisis.

Olymp. XI, 81. non recte notae praefixum est v. 84. Corrige v. 81.

Olymp. XIII, 15. in nota pro ἐν ἀέϑλοισιν lege ἐν ἀέϑλοισι.

Olymp. XIII, 5. et 39. ex codd. Ποτιδάν reponi iubet Ahrens Dial. Dor. p. 244. Idem non Ποσειδᾶν, sed Ποσειδάν postulat.

Olymp. XIII, 72. Scripturam ἔπαλτ' mavult Spitznerus Excursu XVI. Iliad. p. LVII. coll. Nem. VI, 56.

Pythia II, 26. γ' Boeckhius sustulit ex libris sat multis.

Pythia II, 56. Pro scripsit Bergkius lege scribendum putat.

Pythia III, 6. Cf. ad Nem. III, 53.

Pythia III, 106. Rauchensteinius p. 40. assumpta Hermanni transpositione Ὄλβος ἀνδρῶν ἐς μακρὸν Οὐκ ἀσφαλὴς Ἔρχεται κτλ. scribit.

Pythia IV, 19. De tonosi μεγαλᾶν nunc Ahrens p. 31.

Pythia IV, 36. ἀπίϑησε ἵν comprobat Ahrens p. 252.

Pythia IV, 103. Χαρικλοῖς non damnabat Buttmannus Gr. I. p. 188. not. Etenim vestigia quaedam οι diphthongi a Doriensibus pro ου usurpati hic illic comparere. Sed quae §. 27. not. 9. ex Theocrito VII, 95. et XI, 78. attulit ἀκοίσω et ὑπακοίσω sustulit Meinekius. Sic Pyth. I, 26. in Macrobiano codice ΑΚΟΙΣΑΙ reperi. Neque Ἀοῖς apud Moschum hodie exstat. Vitia igitur librariorum haec arbitror labentisve sermonis et vulgaris sordes. Sic Ol. IX, 84. ταξιοῖσϑαι in Pal. C emergit, in Rossii Inscriptione Syria 109. στεφανοῖν legitur et quae sunt reliqua. Unum illud δίδοι dubitabile est, Ahrenti suspectum.

Pythia IV, 211. De forma ἔπειτεν Ahrens l. c. p. 384.

Pythia IV, 225. Formam γενύων bisyllabam Buttmannus ipso illo Euripideo Ἐρινύων tuebatur Gramm. I. p. 111.

Pythia V, 68. Rauchensteinius p. 54. rectius videtur interpungere sic: *τὸ δ' ἐμόν, γαρύοντ' ἀπὸ Σπάρτας ἐπήρατον κλέος, Ὅθεν γεγενναμένοι Ἵκοντο Θήρανδε φῶτες Αἰγεΐδαι, ἐμοὶ πατέρες.* Similiter Isthm. VII, 38. *Τὸ μὲν ἐμόν*, Pyth. XI, 41. *τὸ δὲ τεόν* legitur. Sed post *Θήρανδε* necessario comma ponendum, ne Aegidae a maioribus poetae divellantur. Sequentia ita scribi vult: *ἔνθεν ἀναδεξάμενοι, Ἄπολλον, τεᾷ, Καρνεῖε, Ἐν δαιτὶ σεβίζομεν Κυράνας ἀγακτιμέναν πόλιν.*

Pythia VI, 50. Eandem video de voce *Ἐλάσιχθον* sententiam esse Bergkii Fragm. 281.

Pythia VII, 9. *πολίεσι* reiicit Ahrens p. 230.

Pythia VIII, 96. *ἄνθρωποι* etiam Scholl. Soph. O. R. 1186.

Pythia IX, 64. *φίλοις, ἄγχιστον ὀπ. μήλων* praeferunt Welckerus Mus. Rhen. 1833. p. 375. et Heimsoethius.

Pyth. IX, 87. Bergkius nunc Addend. p. 885. *ἀέ* Pisandro teste confirmari censet eademque est sententia Ahrentis p. 379. Non refragor.

Pythia IX, 91. *φατί* pro *φησί* perperam Aeolicum perhibet Heraclides Eustath. p. 1613, 28.

Pythia X, 48. *θαυματόν* praeter necessitatem Rauchensteinius suspicatur p. 79.

Pythia X, 57. Ahrens p. 146. formam *Ἱπποκλέας* maxime barbaram criminatur. Igitur hoc versu *τὸν Ἱπποκλεᾶ ἔτι* reponit, ut est Pyth. XII, 24. *εὐκλεᾶ*. Versu autem 5: *Ἀλεύα τε παῖδ' ἐς Ἱπποκλεᾶ ἐθέλοντες*, ut Thorax cum altero fratre comum instituerit. Quod arbitrium quum mihi calidius videretur quam probabilius factum, impetravi hoc ab amico, ut quaestionem accuratius retractaret. Idque fecit in Addend. p. 560 seq. disputatione uberrima. Licet autem nunc concedat reperiri similia nomina *Ἱπποκλέᾳ* nostro opitulantia, ut *Ἀριστοκλέας, Ἰφικλέας, Πατροκλέας*, tamen pro Pindari aetate formam insolentiorem indicat neque eam a libris valde munitam. Ex scriptoribus primus Plutarchus certum exemplum offert, qui *Πατροκλέαν* interlocutorem in dialogo de S. N. V. habet; antiquiorem inscriptionem carminis *Ἱπποκλεῖ* a grammaticis ex ipso carmine immutatam esse putat Ahrens. Ceterum articulum *τὸν Ἱπποκλεᾶ* iniuria impugnasse Hermannum exemplis demonstravit.

Pyth. XI, 32. Ioan. Guil. Donaldson in libro bonae frugis pleno, quem Novum Cratylum inscripsit, Cantabrigiae a. 1839. edito p. 390. *χρόνῳ-κλυταῖς* coniunctim et accipit et scribendo exprimit. Pariter in Aesch. Choeph. 641. *χρόνῳ-κλυτὴ βυσσόφρων Ἐρινύς*, ut sit vetustate nobilis, prisca. Sed tum *χρονόκλυτος* scribendum foret.

Nemea III, 41. Reductum oportebat *ψεφεννός*, quum vulgaris forma pessime formata sit. Ut a *σκότος σκοτεννός, κέλαδος κελαδεννός* cett., sic a *ψέφος ψεφεινός* et *ψεφεννός* venit.

Nemea IV, 31. Scholl. Soph. El. 1026: *ἐπηρεάζοντά τι καὶ παθεῖν ἔοικεν.*

Nemea IV, 89. Rauchensteinius p. 18. *ἀείσεται τόθι, παῖ.* Futuro nullus hic locus.

Nemea VI, 54. De forma *ἀόος* Ahrens p. 238.

Nemea VII, 28. *Μενέλᾳ*, ut *Ἰόλᾳ* III, 36., *Πρωτεσίλα* Isthm. I, 58., tetigit Ahrens p. 226.

Isthmia III, 59. Rauchensteinius p. 31. post ἕρπει commate distinguit.

Isthmia VI, 51. not. Pro Buttm. II. p. 176. lege II. p. 186.

Isthmior. fr. IV, 4. ἐκτίσσατο formam inusitatam dixi. Nempe Pindaro. Utuntur Euphorio fr. 50. et Nicaenetus Parthenii Narrat. Amat. XI.

Hyporch. fr. IV. Rogaveram Bambergerum et Emperium, ut illustre fragmentum excuterent mihique sententiam suam perscriberent. Fecerunt viri amicissimi, quibus videntur Pindarica sic bene procedere:

Ἀκτὶς Ἀελίου, τί, πολύσκοπ᾽, ἐμήσω, μᾶτερ ὀμμάτων,
ἄστρον ὑπέρτατον ἐν ἁμέρᾳ κλεπτόμενον;
ἔθηκας ἀμάχανον ἰσχὺν πτανὸν ἀνδράσιν
καὶ σοφίας ὁδόν, ἐπίσκοτον ἀτραπὸν ἐσσυμένα,
ἐλαύνειν τί νεώτερον ἢ πάρος;
ἀλλά σε, πρὸς Διός, ἵπποις θεὰ θοαῖς ἱκετεύω,
ἀπήμον᾽ ἐς ὄλβον τράποιο Θήβαις, ὦ πότνια, πάγκοινον
τέρας.

„Quid instituisti, ut interdiu te subduceres oculis hominum? quid, ut redderes seqq." Consideret lector. Mihi neque *μᾶτερ ὀμμάτων* tam nude dictum placet et *ζαθέας ἵππους* ab dubitatione vindicare quum scriptura librorum tum Philo Armenius videntur.

Fr. inc. 44. God. Hermannus Opuscc. III. p. 217. non dubitandum ait quin Pindarus ἀδάμαντα scripserit. Et video codicem P cum VL exhibere ὀδάμαν δ᾽. Vel sic ἀνδροδάμαν teneo.

Fr. inc. 81. ἀνακηκίει ex nutu librorum Bergkius Addend. p. 885.

Fr. inc. 94. God. Hermannus in dissertatione de Choro Vesparum Aristophanis nuper edita p. 9. ita refingit:
Τὰν δείματο μὲν ὑπὲρ πόντιον πόρον Ἕλλας ἱερόν.